

Le Bidois, Georges
De comoedia et de nostratibus scenicis poetis

DE COMOEDIA

ET DE

NOSTRATIBUS SCENICIS POETIS
QUID JUDICAVERIT BOSSUETIUS

Thesim Facultati Litterarum in Universitate Parisiensi

PROPONEBAT

GEORGES LE BIDOIS
IN FACULTATE LITTERARUM OLIM ALUMNUS



PARIS
CHARLES POUSSIELGUE, ÉDITEUR
15, RUE CASSETTE, 15

1900

DE COMOEDIA

ET DE

NOSTRATIBUS SCENICIS POETIS

QUID JUDICAVERIT BOSSUETIUS

MACON, PROTAT FRÈRES, IMPRIMEURS.

DE COMOEDIA

ET DE

NOSTRATIBUS SCENICIS POETIS

QUID JUDICAVERIT BOSSUETIUS

Thesim Facultati Litterarum in Universitate Parisiensi

PROPONEBAT

GEORGES LE BIDOIS

IN FACULTATE LITTERARUM OLIM ALUMNUS




PARIS

CHARLES POUSSIELGUE, ÉDITEUR

15, RUE CASSETTE, 15

—

1900


LIBRARY
OCT 27 1965
UNIVERSITY OF TORONTO

PROOEMIUM

Etsi « de Comoedia[1] » opusculum non sane est omnium quae scripsit Bossuetius praeclarissimum, vix tamen quemquam tam indoctum reperias qui non modo nomen non teneat memoria, sed etiam quid sit de quo disputetur in eo summatim non cognoverit. Iis vero hoc opusculum doctissimi laudibus efferunt ut quidam opinari non dubitent « tamdiu permansurum quamdiu nostrates ipsae litterae », ac « vim quamdam incredibilem subtilitatis, eloquentiae gravitatisque testari ». Haud falso quidem, ut mea fert sententia. Nihil enim felicius et copiosius — quamvis in brevi opere, — nihil subtilius elegantiusque vel ab alio quolibet scriptore, vel a Bossuetio ipso fuit unquam disputatum. Quanta jam in dicendo gravitas! quantum pondus in verbis! quam nihil non diligentissime perpensum! Adde etiam eam vim et impetum ut nihil vehementius inveniri possit.

Permultas vero alias laudes, easque non mediocres, quae in eodem libro perlucent, praetermittam. Neque enim mihi consilium est ea quae ad meram legentis voluptatem pertinent curiosius exsequi, sed quae vera mens scriptoris fuerit et

1. *Maximes et Réflexions sur la Comédie*, par Messire Jacques Bénigne Bossuet, Evesque de Meaux, etc., MDCXCIV.

quibus argumentis impugnaverit theatrum perpendere. Non quod apud tam dilucidum scriptorem aliquid sit vel obscuri vel solum dubii. Sed novisse quatenus rationi et disciplinae Patrum certisque Ecclesiae de hac re praeceptis fuerit consentaneus operae pretium est. Hoc etiam haud parvi est momenti, num poetas nostros qui tum florebant recte judicaverit, inquirere. Et complura alia de quibus ambigi potest explanare juvabit.

Nec tamen me fugit, cum de iis quae ad mores pertineant tantum virum, quique disciplinae christianae magisterium exerceat, aggrediar, fore ut in varias reprehensiones incurram. Quibusdam enim, et iis quidem valde doctis, hoc fortasse displicebit, illum egregium virum, quem plane perfectum habeant, quasi ad judicium vocari. A quibus peto ne temerius indignentur. Nam adeo non tantum episcopum accusatum duco, ut eumdem potius gravissimum et maxime idoneum testem habeam. Sed quantacumque in aliquo homine auctoritas et fides est, quemnam tamen non fugiunt aut fallunt nonnulla? Errare—quid tritius? — humanum est; nec qui non semel a vero declinavit, sed qui levissime, is maxime probandus. Bossuetii igitur non dignitatis florem infringam, si forte eveniet ut aliqua ejus argumentis passim addam vel detraham, cum praesertim, in summa et in capite rerum, unam litteram commutare relligioni habeam. — Erunt autem fortasse qui me in doctrina christiana morum tollenda vel minuenda pessime facere tempusque frustra conterere dicturi

sint. Tantam illi in vituperando remittant severitatem. Nam neque tam indignum consilium capio, neque christianorum morum integritatem unius hominis, quantumvis doctrina moribusque licet excellat, in verbis positam esse censeo. Itaque, ut spero, nec Bossuetii studiosos, nec qui officiorum momenta diligentissime perpendunt, laesurus sum. Tanta mihi erit verecundia et suum cuique tribuendi anxia voluntas!

Pauca vero dicam de ordine. Ut ratione et via procedat disputatio, non singulis scriptoris vestigiis insistam, — quod quidem verbum verbo explicanti quam disputanti aptius est. Illud porro primum inquiram quid de theatro generaliter senserit Bossuetius. Dein quonam modo vel comicos vel tragicos nostrates judicaverit poetas. Tum vero quos sibi in improbando theatro auctores proferat requiram. Demumque quo spectet ejus demonstratio considerabimus, et quatenus ei suffragari expediat, et quem ex ea fructum capere possimus.

DE COMOEDIA

ET DE

NOSTRATIBUS SCENICIS POETIS

QUID JUDICAVERIT BOSSUETIUS.

CAPUT I

QUAE FUERIT DE THEATRO BOSSUETII SENTENTIA

Illustre est scriptoris propositum. Errorem enim perniciosissimum quo multi homines fere implicantur quique, cum saepissime jam antea esset excisus sed nondum evulsus, magis tunc fruticabatur, extrahere radicitus sibi proposuit. Nam cum theatrum quispiam nuper probasset atque suasisset, et is quidem sacerdos, sacerdotem quoque, et in primis episcopum, theatrum dissuadere Bossuetio placuit. Is igitur eam in se gravissimam recepit causam qui et eloquentia et auctoritate eam devincere posset. Epistulam primum privatam ad Patrem Caffarum misit, cujus illa Comoediae defensio [1], quae magnopere stoma-

1. *Lettre d'un Théologien illustre par sa qualité et par son mérite, consulté par l'auteur pour savoir si la comédie peut être permise ou doit être absolument défendue*. MDCXCIV.

chum moverat, fere habebatur. Cum vero defensionem non suam esse Pater rescripsisset[1] eamque expresse reprobavisset, Bossuetio nil antiquius fuit quam ut, illo omisso, publice veritatis susciperet patrocinium. Ea nempe fuit libelli scribendi opportunitas.

Animadvertendum primum est multo productiorem esse libellum quam epistula est. Bossuetius enim haud quicquam, in hoc novo opere, nisi abundanter et explicate loqui vult. Et quia : « doctrina certa homines indigent[2] » — sic inde a principio declarat, — idcirco magnopere contendit ut « hanc quaestionem quam multi confuderunt atque implicaverunt » pellucidam reddat. Quod consequitur, si nihil hoc libello enucleatius est.

Nam, etsi nusquam in hoc quidem opere, quod alio in libro[3], hoc aperte explicatum reperimus praeceptum « *theatrum non adeundi* », id tamen ex omnibus libri locis, vel potius ex uno quoque verborum satis manifesto apparet. Bossuetius enim nihil aliud quam Christianos ab isto quodam « libidinum deversorio » avertere et arcere destinatum habet. Quod verbum sane non vehementius est quam, ut sentit episcopus ille, res patitur. Sed convicia non adhibet, quippe qui

1. Réponse du P. Caffaro, 11 mai 1694.
2. *Maximes et Réflexions sur la Comédie*, I.
3. *Traité de la Concupiscence*, XXXI : « N'assistez point aux théâtres ; car tout y est, comme dans le monde dont ils sont l'image, ou concupiscence de la chair, ou concupiscence des yeux, etc. »

docere velit, non laedere. Patribus igitur maledicta in theatrum conjicere permittit, illudque, vehementer quidem, « sacrarium Veneris » (ut apud Tertullianum legimus) vel « pudoris publici lupanarium » nominare. Res enim, non verba affectat. At tamen non dubium est quin secum eadem de theatro cogitet atque, nisi eam moderationem adhiberet quam recipiebat aetatis comitas affabilitasque, ipse ab asperrimis non temperaret verbis.

Theatri vero illecebrae eo perniciosiores Bossuetio videntur quod, dum una in plures spectatoris sensus[1] correpunt, totum statim irretitum tenent. Oculi enim quos per se ipse invitat et allicit scenae apparatus, mox scenicorum actione plane devinciuntur. Nam in theatro ne minimum quidem vel gestum vel motum vel vultus mutationem e conspectu amittimus. Quae vero in conspectum cadant, ille scriptor significanti descriptione dicit : « nec rigida scilicet lineamenta, nec decoloratum cadaver ; animantes autem ac vivi vultus, verique oculi vel ardentes vel blandientes et libidine soluti ; jam vero in actoribus lacrimae verae, quae quidem in spectantibus non minus veras excitant ; ad summam ii veri motus quibus et orchestra et vel longinquissimi gradus conflagrent[2] ». Sic a Bossuetio

1. « Les cinq sens sont cinq ouvertures par où (la concupiscence) prend son cours sur ses objets et par où elle en reçoit les impressions..... Le spectacle saisit les yeux ; les tendres discours, les chants passionnés pénètrent le cœur par les oreilles..... » *Maximes*, VIII.

2. *Maximes*, IV.

libidinum quasi sumministratores ducuntur oculi.

Aures vero non minorem audientibus pestem inducere existimat. Nam simul atque symphonia canit mollioresque et delicatiores sonant in cantu flexiones, mentem totam prorsus enervant. Bossuetius enim, quia vim musicae experiri voluerat[1], ideo quantum ad infringendum animum polleret tam ipse quam qui maxime noverat. Sin autem abest a theatro musice, quis ignorat non solum in canticis et instrumentis consistere harmoniam, sed etiam vel in eloquendo quemdam obscuriorem esse cantum qui, praecipue in theatris, vim habeat incredibilem? Versus enim ibi saepius adhibetur, quae, ut antiquitas existimabat, pars est musicae. Et rursus soluta oratio non adeo soluta esse potest ut numeros suos ipsa non habeat. Quicquid vero est, versus et prosa, cum in scena pronuntiantur, ac maxime illis momentis quae dolores vel gaudium habent, modis variis utuntur et cantum redolent. Sic fere nunquam ne in comoedia quidem audientis aures musica vacant, quae blanditiis delenit animum et quasi devinctum tenet.

Quid vero sibi vult scenicus qui fabulam agit, nisi qua perturbatione animi ipse commovetur et nos audientes similiter commovere[2]? Is enim, in

1. Bossuetium enim referunt Lullii symphoniam ea mente audire voluisse ut quid polleret musice per se ipse judicaret.

2. «.....Si l'acteur d'une tragédie ne le sait pas émouvoir et le transporter de la passion qu'il veut exprimer, où tombe-

hoc quoque hominum genere, primas fert qui

> .....juvat, aut impellit ad iram,
> Aut ad humum maerore gravi deducit et angit[1].

Nam, re vera, usque adeo in nos callidus actor dominatur, ut « quocumque voluerit, animum auditoris agat ». Quae potestas vero tanta unquam fuit ulli homini concessa ? At cujus hominis in fidem ac potestatem nos sic dedere annuimus ? Ejus nempe apud quem nihil verum, nihil, ut ita dicam, proprium ac peculiare invenitur. Nam necesse est ut perpetua imitatio, cum praesertim a teneris unguiculis instituta sit, altera fiat natura, isque nihili homo sit, qui vicissim omnes ludit et simulat. Qui, si ex ea perpetua imitatione aliquid proprium consequitur, vitia sane recipit in quibus imitandis impendit operam[2]. Sic igitur cum servis servi, cum vitiosis vitiosi evadunt[3].

t-il, si ce n'est dans le froid, dans l'ennuyeux, dans le ridicule, selon les règles des maîtres de l'art ? » *Maximes*, IV.

1. Horat., *ad Pison.*, vv. 109-110.

2. « Quel est donc, au fond, l'esprit que le comédien reçoit de son état ? Un mélange de bassesse, de fausseté, de ridicule orgueil et d'indigne avilissement, qui le rend propre à toutes sortes de personnages, hors le plus noble de tous, celui d'homme, qu'il abandonne. » Rousseau, *Lettre à d'Alembert*.

3. Vide Platonis locos a scriptore laudatos, *Maximes*, XIV. Cf. apud Pascal, *Disc. Pass. Am.* : « L'on ne peut presque faire semblant d'aimer que l'on ne soit bien près d'être amant..... » Cf. « Ces hommes si bien parés, si bien exercés au ton de la galanterie et aux accents de la passion, n'abuseront-ils jamais de cet art pour séduire de jeunes personnes ?... » Rousseau, *Lettre à d'Alembert*.

Quis enim cantricum et scenicarum flagitia non bene cognita habet, quae quidem, *ornatu meretricio et ad animas praeparatae capiendas* [1], furantur cor juvenibus? « Quae vero mater, ac ne ea quidem christiana, sed vel tantulum honesta, non satius habet filiam videre in sepulcro conditam quam in scena sic publicatam? Quid enim! Taline opprobrio filiolam tam pie, tam caute educavit! Num ita die ac nocte tam diligenter eam in sinu fovit, ut omnibus praeda, juvenibus vero corruptela fieret! Ecquis igitur has miserrimas Christianas — si quidem etiam nunc eae Christianae ducendae sunt quae in arte versantur tam a christiana vita abhorrenti — non in numero habeat earum servarum veno expositarum quibus omnis periit pudor, sin minus ob aliam causam, at idcirco quia in medio proponuntur et omnium oculos ad sese convertunt, quanquam sua eas conditio muliebris verecundiae obligabat?.... [2] » Ista igitur dubia et ancipitia genera, homines scilicet quibus haud quicquam virile, et feminas quibus nihil omnino mulieribus decorum, cum semper et ubique aspernari debeamus, in theatris consideramus, probamus, eisque plaudimus.

Quaenam vero actitant in scena isti actores istaeque scenicae, quorum conspectus solus flagitio est? Utrum eas fabulas agunt quae vivendi recte exemplaria praebeant, an quae ex

1. Ut in *Proverbiis* legitur, v. *Maximes*, VIII.
2. *Maximes*, VIII.

deterrimis vitiis totae conglutinatae videantur? At favete linguis, nam tragoedia incepta est agi. Qui fit cum lacrimis hic gemitus? quae ista perpetua lamentatio e scena oritur? Num tantummodo aut pueri aut feminae tantum ploratum edunt? an homines ipsi, quid dico homines? viri, « heroes » immo, qui, devicti dolore, in lamentabilem erumpunt ululatum? O rem foedam! O vere indignam quae in vitae rebus toleretur, nedum in theatro probanda sit! Nihil est enim omnino sive in terra, sive in humanis rebus, quod amissum quidem tanto dignum sit gemitu. Igitur cum aliquam personam flebiliter lamentantem in scenam inducunt, nihil aliud faciunt poetae tragici quam « apud nos audientes fovere illud nescio quid imbecillum atque queribundum quod in ejulatibus ac lacrimis effunditur [1] ». Haud sane probabiliori documento tragoedia est, cum eam animi alteram partem effrenatam excitat ubi plurimum valent indignatio et ira [2]. Nam si ira « furor brevis » merito dicta est, ea quidem iracundia, qua in theatro efferimur, furor est eademque stultitia. Multis igitur nominibus tragoedia improbanda ac rejicienda est, quippe quae et fortitudinem frangat et moderationem aequitatemque labefactet animi. At hae quidem offensiunculae sunt, id est levissima damna. Hoc enim fabularum genus, ut mox erit demonstran-

1. *De Republ.*, lib. X. 3. Quem locum laudat Bossuetius, *Maximes*, XV.
2. *Maximes*, XV.

dum, etiam alia pericula conflare Bossuetio videtur, prae quibus ea priora praetermitti possunt.

Jam comoedia rursus non solum haud laudabilior, sed etiam, quia turpiora admittit, in vituperationem cadit multo severiorem. Etenim ad hoc spectat unum, ut risus concitet. Sed et hoc levissimum est neque honesto viro dignum, cachinnos vel movere vel tollere, et nemo ignorare potest eum qui risus captat, quacumque uti ratione ut propositum teneat. Dicacitas enim et facetiae, quibus modice adhibitis vel gravissimus quisque veniam dare potest, vulgi auribus parum delectationis habent [1]. Inde fit ut illiberales joci, verborum obscenitas rerumque turpitudo mox adhibeantur. Sic id fabularum genus ad foedissimam scurrilitatem natura inclinatum est.

Jam vero multo etiam majoris culpae Bossuetius comoediam condemnat. Platonis enim continuo novum laudat locum, in quo ille egregius philosophus, quia in adulescentium affectibus et erratis comicae fabulae plerumque versentur, idcirco eas vehementius nobis detestandas confirmat : « Ne, ait ille, isti amori *vulgari* indulgeamus [2] ». Ex quo verbo *vulgari* intellegere expedit, ut significat Bossuetius, eum merum corporis amorem, quem Plato virtutis cum studio committere solebat.

Sed paulo plura de hoc argumento dicenda

1. *Maximes*, XXXV.
2. *Maximes*, XVI.

sunt. Ea est enim prorsus Bossuetio ipsi summa et quasi causae arx. Nam quo quidem anno hunc de theatro proferebat libellum, et alterum « de Concupiscentia » scribebat, qui quadraginta fere post annis typis mandatus fuit et divulgatus [1]. Ita vero in his maximis rebus tunc versabatur scriptor ut in utroque opere easdem sententias paene similibus verbis enuntiatas passim repeKriamus. Sed in illo *de Concupiscentia* libro, concupiscendi triplex ratio enodatius explicatur, quarum in una « carnis concupiscentia », in secunda « oculorum concupiscentia », in tertia « vitae superbia » est, de quibus singulis copiose et acute dicit; in hoc autem libro omnia conferuntur in pauca, neque tamen ulla vis aut lux desideratur. Ita vero nunc disputat : — Nonne matrimonium, in quod semper comoedia redit, quodque, in Gallia saltem, ut demonstrabitur, tragoediam ipsam fovet, e concupiscentia constat [2]? Porro ipsa concupiscentia quid aliud est nisi, sicut fert christiana doctrina, mentis pravitas cui magno opere adversandum nobis est, cuique ut nos resistamus instructi et parati simus necesse est? Etenim, ea apud Augustinum leguntur : « Concupiscentiae carnalis qui modum tenet, malo bene utitur; qui modum non tenet, malo male utitur; qui autem etiam ipsum modum sanctae virginitatis amore contempserit, malo melius non

1. Anno MDCCXXXI.

2. « Le mariage présuppose la concupiscence. » *Maximes*, VI. Cf. infra Appendicem nostram, n° IV.

utitur [1]... ». Comoedia vero non ita matrimonium effingit ut officia quae in eo servanda sunt patefaciat. Longe aliud est poetae propositum. Nam quod nuptiae tantummodo finem comoediae faciunt neque ipsam argumenti materiam praebent, ex eo quidem probabiliter suspicari potest nil in nuptiis ipsis satis gratum poetae videri. Non nuptias igitur, sed nubendi libidinem ante oculos nostros proponit. « Haec vero tam dulcis ac facilis ad amorem propensio, ea nempe est quam sentiri ac probari nobis poeta vult. Unde sequitur eumdem eam servitutem, quae cum ex peccato orta sit ad peccatum inclinat, nobis probari velle [2]... » Quae probatio tantum abest ut noceat mediocriter, ut contra maxime exitiosa sit. Nisi forte veneni tarditas minus exitialis videri debet, vel quia occulte venenum in sensus irrepit, eo minus reformidandum est. « Cui autem bene perspectum sit inesse in hominum praecordiis reconditam quamdam animi gestientis elationem et nescio quam semper sollicitam ac vagam ad corporis voluptates propensionem, qua, dum nihil cupimus, omnia cupimus et optamus, is exploratum habeat qui sit maximorum peccatorum occultus fons ac vera origo [3]. » Jam vero testem citat Augustinum qui, cum *nondum amaret sed amaret amare*, isque ab omni *via sine muscipulis* celerius declinaret, in quas muscipulas gestiebat

1. *Contra Julianum*, III. Cap. XXI, nº 42.
2. *Maximes*, VI.
3. *Maximes*, VIII.

sese ad extremum induit. Porro spectaculorum studio tunc se quasi furere Augustinus fatebatur, quippe quod ejus miserias vero exprimeret et idem libidinum excitaret ardorem [1]. Adeo perspicuum est comoediam huc natura pertinere, ut eam maxime caecam ac temerariam animi dominatricem, dico libidinem, excitet et accendat.

Sed tanta testimonia sane res non poscit. Nec longa demonstratione opus est ut comoediae pericula omnibus appareant. Si quis enim has varias cupidines quibus flagrant fabularum personae non nostras etiam nisi « oblique et casu [2] » incendere contendit, vehementer errat, et eo quidem errore qui facile dematur. Cujus ut dematur error, ad poetas ipsos rejiciendus est, qui in hac re omnes ore uno consentiunt ut in auditore erigendo delectandoque summam artis ponant et omnia contineri fateantur [3]. Quid porro est spectatorem delectare, nisi, ut de scenico antea diximus, et ut fert communis sensus, ejus animum eodem vehementiore perturbare motu quo persona perturbatur ipsa ? Nam si quis in scena amans, vel odio conflagrans, vel perhorrescens, vel gestiens, ad amorem et odium et horrorem et cupidinem nos etiam non provocat, necesse est ut dormitemus aut rideamus. Ea est enim lex

1. « Rapiebant me spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum mearum et fomitibus igni mei..... » *Confessions*. L. III, c. 2.

2. *Maximes*, IV.

3. *Maximes*, IV. — Cf. infra *Appendicem* nostram, nº II.

manifesta et natura artis. Quod idem valet ac si enodate dicamus : « Comoedia ipsa, quae ex animi perturbationibus constat, ad perturbandos animos unice pertinet ».

Haec sunt, paucis quidem verbis contracta, sed non forte nimis attenuata, quae de respuendo theatro scriptor sentiebat. Quis jam non intellegit illum, si minus in universis partibus, at certe in plurimis devincere ? Nam primum liquet qui in spectaculum venerit jam vel minimo cupidinis igni succensus, eum in magno discrimine versari ne statim maximo deflagret incendio. Quicquid enim cupidinum in nobis latescit in scena etiam reperitur, ubi in clarissima luce eminet. Hoc igitur alterutrum ut fiat necesse est : Quod si nostra vitia laudibus ornantur, aut certe quadam suavitate colorum commendantur [1], non eorum pudet nos, quin potius eis gloriamur. Sin autem omnis fucati coloris expertia et qua deformitate ac foeditate sunt in conspectum cadunt, tum demum ea vehementer improbamus. Explodimus vero, non exstirpamus. Nam non in ore habemus verbum notum « Hac ego compellor imagine [2] » ; immo hoc aliud fere adhibemus : « Non ego depingor, non ego reprehendor, at tu

1. « Si le peintre n'avait soin de flatter ces passions, les spectateurs seraient bientôt rebutés, et ne voudraient plus se voir sous un aspect qui les fît mépriser d'eux-mêmes. » Rousseau, *Lettre à d'Alembert*.

2. Horat. epistul., l. I, VII.

potius [1] ». Sed quanquam opinamur non de nostris vitiis in fabula agi, plane nostra reputantur ab universo consessu; et cum maxime id soli non intellegimus, in nobismetipsis vehementer agitantur et incredibilem in modum augentur. Sit sane igitur scena quoddam speculum [2], concedo, sed re vera illud Archimedis speculum ardens, quo obcaecati sumus et usti magis quam illustrati [3].

Periculis vero scenae etiam consessus celebritatisque periculum accedit. Quod Bossuetium sane non fefellit, sed, quia jamdiu notum erat atque demonstratum, omisit. Quis enim illum Senecae locum ignorat, quo turbam esse vitandam tam exquisitis rationibus confirmavit? « Inimica est multorum conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Utique, quo major est populus cui miscemur, hoc periculi plus est. Nihil vero tam damnosum bonis moribus,

1. « Il gage que c'est moi, et moi je gage que c'est lui. » (*Impromptu de Versailles*, IV.)

2. Cf. « Ce sont miroirs publics où il ne faut jamais témoigner qu'on se voit. » *Critique de l'École des femmes.*

3. « Notre amour-propre est si délicat, que nous aimons à voir les portraits de nos passions aussi bien que ceux de nos personnes. Il est même si incompréhensible qu'il fait par un étrange renversement que ces portraits deviennent souvent nos modèles, et que la comédie, en peignant les passions d'autrui, émeut notre âme d'une telle manière qu'elle fait naître les nôtres, qu'elle les nourrit quand elles sont nées, qu'elle les polit, qu'elle les échauffe..... » Conti, *Traité de la Comédie et des spectacles.*

quam in aliquo spectaculo desidere : tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. Quid me existimas dicere? Avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, immo vero crudelior et inhumanior, quia inter homines fui... Nemo nostrum... ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest [1]. » Haec fuit sine dubio apud Romanos spectaculorum pestis. Quod si nostrum theatrum pericula paulo pauciora vel saltem minora facessit, apud nos quoque mixtorum virorum atque mulierum celebritas non sine periculo est. Nisi forte prorsus obsolevit illud quod de feminis in theatro assidentibus fuit olim verum :

Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsae [2],

et de juvenibus quoque illud olim bene exploratum :

Respiciunt, oculisque notant sibi quisque puellam
Quam velit, et tacito pectore multa movent.
. . . .
Elige cui dicas : tu mihi sola places [3].

Quae, etsi veniebant scriptoris in mentem, propter eam qua fuit animi gravitatem, non proferre maluit. Argumentatio enim tam plena est ut nihil addi possit. Sed illud praesertim videndum est, hic etiam Bossuetium, quod facere solet, de minimis non curantem, in mediam dimicatio-

1. Senec. *ad Lucil.* epistul. VII.
2. Ovid., *Artis amat.*, I. — Cf. apud Tertullian : « Videre et videri velle ejusdem libidinis est ».
3. Apud Ovid., loc. citat.

nem se inferre et ubi plus periculi sit ibi depugnare summa vi.

Sed cum tam acriter dimicatur, vix fieri potest ut nullum vanum intercidat telum. Quae pugnantium lex est, eam nimirum Bossuetius non effugit. Nam ponere licet, et id sine ulla dignitatis imminutione, non unum esse pondus omnibus argumentis. Sunt vero tum gravissima quibusque nulla vi resisti possit, tum nonnulla verisimilia solum et quae prudentia, non necessitas, accipere jubeat. Sed reperias etiam, quamvis paucissima, quae frustra quodam modo accidere videantur.

Nam quod dicit poetas vel comicos vel tragicos plane hoc spectare ut nos delectent, admodum probe dicit. Hoc enim adeo inter omnes constat poetas ut ii ipsi, qui, majora molientes, utilitatem quoque morum consectari profiteantur, id se assequi posse omnino diffidant, nisi primum delectatione cor nostrum delenierint. Delectatio igitur maxime necessaria est, quae et jucunditatem tueatur et ad ipsam frugem valeat. Sed non continuo, si comoedia delectare spectantem debet, necessitate depravat. Aliud est enim delectatio, aliud vitiosa voluptas.

At enim ex libidinum intemperantia comoedia pendet. — Se isto modo res habet; sed non ea est comoediae propria conditio, cum omnis poesis et artium universe communis sit. Imaginem vero exprimere non idem valet quam imitandum proponere exemplum. Haud infitior equidem

reperiri poetas (poetas autem? immo carminum artifices) qui, illam quamdam poesis relligionem funditus tollentes, non virtutis patrocinium, libidinis lenocinium quaerant. Nimis multos hujusce modi invenias; neque istos unquam satis detestabimur, qui, artis suavitate et optimi pessima corruptione, tantam vim habeant ad corrumpendos animos. Attamen haud scio an istos quasi professos et expeditos animi corruptores theatrum minus patiatur [1]. Nam quaedam tenebras solitudinemque desiderant; homines vero in unum locum congregati majore saepius verecundia obstricti sunt. Quod fit fere in theatris, ubi etiam vitiosissimi scriptores quemdam modum se servare contendunt. Sed, quicquid est, agnoscamus hanc nescio quam verecundiam publicam quae in theatro excubet et cui mandatum esse videatur ut prohibeat invidiosissima quaeque, non nimiam, ex consuetudine, adhibere inclementiam. Quoties enim quae vocatur decentia publica pactionem cum obscenitate facit! Quoties, custodiae neglegentia, aliquantum tam infirmorum septorum discutitur, qua in scenam perrumpit effusa licentia! Ne igitur multum freti simus vulgi hac verecundia, quae, sub varios casus cum sit

1. « Des impies, des débauchés, des philosophes professant (certaines doctrines), feraient horreur au parterre des boulevards. Là il faut de la vertu ou de telles apparences de vertu que les spectateurs s'y puissent méprendre. Sans doute les spectateurs se prêtent à l'illusion ; mais, n'importe, il faut de la vertu ! » Apud Veuillot, *Çà et là*.

subjecta, aliquando severior est, sed multo frequentius corruptori cuique luculento turpiter indulget.

Magis vero confidere possumus poetarum ipsorum integritate. Multi enim poetae poesim adeo non putant voluptati lenocinari posse, ut illam ne ludum quidem habentes qui animos juste atque moderate relaxet, potius ducem vitae et officiorum profiteantur magistram. Longum est tot poetas enumerare qui sic suam artem magnifice suspexerint et morum institutorumque regendorum hoc sibi susceperint grave munus. Magis vero ad rem pertinet dicere, omissis poetis ipsis, etiam reperiri multos, neque eos mediocres, qui poesim plurimi fecerint. Sed unum nomen proferam. Nam Fenelo, verbi gratia, incredibilem in modum poesim est admiratus. Haud quisquam, ut arbitror, vehementius et gravius confirmavit poeticum munus non id esse quod vulgus sibi finxit. — Poesis, sic eloquitur, Relligione primum consecrata et Relligioni dicata, mundi originis et Dei mirabilium facinorum prodidit memoriam. Quin etiam et primas leges hominibus imposuit, et ad humanitatem eos excoluit, et ad recti honestique amorem animos conciliavit. Hoc efficitur ut, quemadmodum improbos poetas aspernari debemus, sic mirari atque fovere illum egregium poetam deceat, qui, nec tam pulchrae artis dignitatem frangit, neque in inania oblectamenta aut ad conciliandum favorem in momentum talem convertit artem, sed ea non utitur, nisi ut ad

sapientiam, virtutem, relligionem, omnium animos inflammet [1].

Ea sane est poesis eminens effigies, et quae forma ipsa vel tamquam honesti facies videatur. At, dices, num ad veritatem accedit tam eximia species? Quot poetas numerabimus vere dignos qui sic in numero vivendi praeceptorum habeantur? Equidem haud scio. Sed illud exploratum est, permultos, si ad ista summa pervenire non possunt, meliora saltem, contra quam censuit poeta, videre et probare, nec deteriora sequi. Nam virtutem, fateor, non ex professo ostentant, sed nihil contra facere sibi legem statuunt, et re vera decorum retinent.

Quo igitur modo possunt, dicet aliquis, cum saepissime non solum omnibus vitiis inquinatos homines poema fingendo ad naturam exprimat, sed etiam poeta velit nobis ea vitia esse curae, et iisdem nosmetipsos laborare atque commoveri ? — Hic vere rei nodus est. At quo modo decorum retinent ipsi oratores sacri qui, in ecclesiis, in vitia tonant et fulgoribus animi latebras collustrant foedissimas ? Absit tamen indigna collatio ! Nil comparo, nedum quicquam assimilem. Quod si, cum ab oratore christiano nudus ostenditur animus vitiique foeditas detegitur, dicentis voluntas et qui petitur finis omne crimen derivat, ex quo concludere possumus animum facientis, non factum aestimari. Nam qui ita vitium

1. *Lettre à l'Académie*. Projet de Poétique.

ostentat ut commendet, facinus certo committit; qui autem ante oculos vitium ponit ut turpitudinis notam inurat in odiumque vocet, recte facit et admodum probandus est. Bossuetio ne ipsi quidem hoc argumentum displicere potest. Nam objicienti *historiam ipsam, quae tamen gravissima est, aptis ad commovendum animum uti verbis*[1], acri cum contentione respondet : « Quam vehementer errat qui artem quae vitium ita exprimit ut ejusdem incutiatur odium ab ea non dijudicat quae pravas libidines hac mente effingit ut visu ipso delectent et placeant[2] ». Praeclare quidem, ut opinor, sentit; neque aliud argumentum ad rem expediendam desideratur. Etenim rerum scriptores non soli improba facta exhibent quae vocent in invidiam. Permulti [3] etiam poetae idem ineunt consilium et aperte significant. Quod si eorum declaratae voluntates parum apud nos fidei habent, affectibus quidem nostris confidere possumus. Nonne enim frequenter evenit ut, cum spectaculo intersumus, a vitiis istis removeamur quae spectaculum praebent? Nonne fraudem et superbiam et immanitatem tum perhorrescimus ac detestamur? Nonne nequitia, stultitia, pervicacia, vanitas, jactatio, luxuriaque veniunt nobis in contemptionem? Quae cum ita sint, ne crimini poetae verta-

1. *Maximes*, IV.
2. *Ibidem*.
3. Cf. de Homero atque de poetis graecis hanc Bossuetii tam propitiam sententiam : « Lui *et tant d'autres poètes*, dont les ouvrages ne sont pas moins graves qu'ils sont agréables, etc..... » *Discours sur l'Histoire universelle*, L. III, c. V.

mus quod ita vitium depingat ut vitii detegatur foeditas ac palam reprobetur. Cujus facti ratione habita, nos magis decet poetam habere haud omnino mediocrem vivendi praeceptorum adjutorem, qui non sane tantum ad corrigendos animos quantum orator polleat christianus, sed tamen, in hoc munere, historicis multo antecellere videatur.

At enim vitia tantummodo quae ab humanitatis ratione repugnant poetae insectantur. Nam plerumque, dum satis habent invidiam rejicere in culpas quae communis vitae vincula revellant, incolumes et integras eas esse patiuntur quae nobismetipsis solis afferant detrimentum. Itaque, cum ferrei asperrimique sint ad levissimas etiam insulsitates inhumanitatesque [1], admodum se faciles praebent, immo dissolutos in istis delicatis voluptatibus depingendis quae mentis nervos confringunt. Sic, verbi gratia, *morbum amoris*, quo nihil omnino est homini pestilentius, in omnia opera recipiunt; non solum recipiunt, primario loco ponere instituunt; neque solum primas partes amori committunt, sed etiam cetera ei, tamquam germano deo, concedere et mactare non dubitant. — Hoc sane est, ut sentit Bossuetius, gravissimum comoediae maleficium. Num vero expedit profiteri, quotquot poetae in hac manifesta culpa deprehen-

1. « ... les discours où ce rigoureux censeur des grands canons, ce grave réformateur des mines et des expressions de nos précieuses, étale cependant au plus grand jour les avantages d'une infâme tolérance dans les maris, etc. » *Maximes*, V.

dantur, nos quoque eos corruptionis damnare et omni severitate reprehendendos habere? In hoc quidem omnes Bossuetio plane assentimur.

Jam vero, quod ad illam egregiam de concupiscentia doctrinam attinet, quam quidem tam callide ad comoediam (sicut et ipsi antea Jansenii fautores [1]) Bossuetius transfert, et in illa maxime nititur theatri paene tota ejus reprobatio, profiteor eam non mediocrem vim habere.

At illud argumentum tam grave est, ut non solum comoediam labefactet, sed etiam, si nullum laxamentum tali legi demus, permulta alia quoque tollat, quae ad vitae humanae conversationem necessaria videntur. Nam si, quia quicquam matrimonio caritatem nostram conciliat, idcirco concupiscentiam in nobis sceleste incendit, prohibenda quidem sunt primo spectacula, sed una prohibenda sunt et, magnam in partem, carmina poetarum, et historicorum narrationes, et pictorum eorumque qui signa fabricantur opera, et, omni numero, sermones cotidiani qui matrimonii mentionem inferunt, etiam, ut opinor, eae ipsae oratiunculae quibus, cum sacerdotes nuptiale sacrum conficiunt, propalam cum monitione miscent gratulationem. Quorum alii haud dubie suspicionem possunt sustinere « eam servitutem quae, ex peccato orta, ad peccatum inclinat [2] » nobis proponendi probandam; alii vero, dum in

1. Vide infra *Appendicem* nostram, nº IV.
2. Vide supra, p. 14.

sacris contionibus matrimonium quodam modo purgant, « ad id exquisita quidem ratione audientium alliciunt benevolentiam [1] ». Quod si tollenda est ob id ipsum, quamvis perpurgata sit, comoedia, haec omnia quae diximus in calamitatem eamdem continuo trahi debent. Quam consequentiam sane Bossuetius, utpote qui Homerum, Vergilium, Terentium multosque alios poetas aestimaret plurimi, omni repudiaret ope.

Sed quid diutius commoramur in his abstrusioribus argumentis, de quibus fortasse frustra disputatur? Jam tempus est nos ad exempla referre et ad ea quae contra quosdam poetas vicissim in jus vocatos tam severe Bossuetius judicaverit.

1. « Le grossier que vous en ôtez ferait horreur, si on le montrait : et l'adresse de le cacher ne fait qu'y attirer les volontés d'une manière plus délicate..... » *Maximes*, V.

CAPUT II

QUOMODO QUI TUM FLOREBANT POETAS BOSSUETIUS JUDICAVERIT

In illa de theatro clancularia dissertatione, quae quamdam generosam iracundiam Bossuetio moverat, nihil ipse gravius tulerat quam hanc inconsideratam ac temerariam scriptoris opinionem : « Plurimi vero homines, et ii quidem probata virtute incorruptaque conscientia, comoediam fateri coguntur adeo apud nos, hoc tempore, esse emendatam ut nihil jam patiatur quod vel maxime teretes et quam relligiosissimae aures aspernentur ac respuant [1] ». Eo enim primum Bossuetius se vertit adversarioque acrius instat, neque intermittit quin eum de tam infesto loco deturbasse sibi videatur. Ad id igitur nos quoque omni studio incumbere debemus, cum praesertim res sit et per se ipsa maximi momenti, et quam, nostra quidem sententia, fortasse brevius iracundiusque tractaverit orator quam ut ei omnino suffragemur. Sunt enim in hac re quae plane probare deceat; sunt etiam quae additiones vel exceptiones desiderent; et ea reperias demum quae liceat aperte infitiari.

1. *Lettre d'un théologien.*

1. De Molerio.

Non miror equidem quod recta via ad Molerium Bossuetius pergat et eum primum vehementer impugnet. Haud ullus enim poeta, inter illos qui tum florebant, magis ansas dabat ad corruptelae insimulandum ; neque quisquam alius ratione quae magis abhorreat a Bossuetii doctrina fortasse utitur. Qua igitur indignatione in Molerium prorumpit ! Quam inflammatis verbis turpitudinis ei notam inurit ! « Quid enim ! Num pro honestis habebimus tam impie, tam spurce dicta quibus refertae sunt Molerii comoediae !... Nonne igitur iste scriptor omnia theatra nostra personat et foedissimis ambigue dictis implet quibus christiani viri aures unquam sunt inquinatae et infectae ?... Num defendere istas fabulas audebis ubi virtus ac Relligio semper deridentur, pudicitia vero nunquam non laeditur et assidue in summo periculo versatur ne flagitiosissimis stupris, id est quam spurcissimis verbis, funditus tollatur [1] ?... » Hoc judicium sane grave est. Quantumvis vero licet natura comparatum ut scriptor christianus in comico judicando severior sit, quadam tamen verborum immoderatione efferri mihi videtur. Nam primum, ut opinor, modum transiit, et forsitan quod erat maximi momenti ac ponderis non, ut ita dicam, acu tetigerit.

Sunt quidem in Molerii comoediis inhonesta

1. *Maximes*, III.

ambigue vel aperte dicta ; sed ea paucissima, etiam levissima judicamus, dum comparamus cum immundo spurcitiarum profluvio quod tot aliorum poetarum comoedias inquinat. Non quod excusatione paucitatis Molerii impudica dicta defendam ; semper enim sunt nimis multa quae offendunt aures puras, et quo verecundior consideratiorque quilibet poeta est, eo magis miramur et gravius ferimus quod illiberalia et sordida verba quae tantum suo ingenio discrepent in se nonnunquam admittat. Sic in Molerium Molerius ipse nostram severitatem impellit et auget. Sed idcircone eum habebimus nescio quem sordidum histrionem qui omnem machinam adhibeat ut vulgi risus captet et tamquam plena manu verborum obscenitatem profundat ? Ut a tali recedamus errore satis est, censeo, quamlibet, non dico de amplissimis et perfectissimis Molerii comoediis, sed de levissimis etiam fabellis quas liberior ejus emisit festivitas, strictim unam attingere. Nam in his opellis, in quibus poetarum comicorum protervitas ac lascivia habenas fere laxissimas habet, Molerius semper aliquem pudoris tenet modum. Inde fit ut, si quem ejus mimum [1] cum amplioribus comoediis conferamus, multo procaciorem sane judicemus quam accuratas comoedias, miremurque etiam quod unum et idem ingenium tam dissimiles fructus ediderit [2]. Sin autem, dum ab origine ejusdem mimi ortum repetimus, inspicimus unde

1. Inter eos qui dicuntur gallice « farces ».
2. Cf. *le Misanthrope* et *le Médecin malgré lui.*

scriptor materiam hauserit, consideramusque nobiscum ipsi tam lutulentum [1] antea comoediae flumen ab illo paene omnino esse defaecatum, laudi Molerio verecundiam damus. Quicquid est, nemini eorum qui Molerii comoedias perspectas habent, sic eas ignominia notare succurrit.

Nonnulla vero impie dicta apud Molerium reperiuntur. Sed quis hujuscemodi verba facit? Homone ullus honestus, probabilis, natus ad conciliandum sibi favorem, idoneusque qui ad partem suam nos alliciat, an insignis nebulo qui, dum sanctissima quaeque invadit et omnia quae sentimus, probamus, colimus, retexere et evertere gaudet, detestabilis pestis aperte significatur? Istum vero D. Joannem, qui sanguinis et affinitatis et virtutis et honestatis sanctissima jura dissolvit, expedit etiam fortasse non a Relligione abstinere ipsa. Nam aliquid in talis hominis impietate desideraretur, nisi etiam erga Deum impius evaderet. Sed hoc novum scelus, cum tot aliis superadditur, non solum nequitiam perficit, verum societate et contagione ceterorum totam personae exhibet pestilentiam et ei majorem invidiam facit. Quicquid igitur nefas tam nefarius homo loquitur et committit, quodam modo in pietatis laudem vertitur recte judicantibus.

At enim quis Molerium ferre potest Relligionis causam — non semel, sed quotiescumque de ea

1. V. *le Pédant joué*, *les Corrivaux*, *les Galanteries du duc d'Ossone*, etc.

in fabulis agitur — ad stolidos homines deferentem qui quicquid dicunt, insipienter vel ridicule dicunt? Quid enim? nonne tali defensioni alios patronos constituere debebat atque Sganarellum aut Arnolphum [1]? Nonne perspicuum est hunc poetam, talibus adhibitis patronis, imminuere ac frangere velle causam bonam quam simulatione defendunt? — Quod sic concluditur non ex propositis efficitur, neque est consequens. Nam aliae etiam causae, neque ipsae deteriores, aliquando apud Molerium defenduntur absurde. Testis est Alcestus, qui veritatis ac sinceritatis propugnationem ita sibi suscipit ut saepe risus moveat [2]. Non existimamus autem ridere vel debilitare voluisse idcirco sinceritatem ipsam Molerium, quippe qui pectus apertum candidamque linguam in prima commendatione ponat.

1. V. *Don Juan* et *École des Femmes*.

2. Alcestum scilicet Bossuetius spectat, cum reprehendit « istas comoedias, ubi virtus... semper ridicula est... » Quod si forte rem adeo tritam pluribus verbis hic amplecti non expedit, saltem breviter referre licet quae ad hoc crimen derivandum jam saepius responsa sint. — 1°) Alcestus nequaquam virtuti assimilandus est... ; hunc igitur ridere possumus, neque ideo ipsam irridemus virtutem. 2°) Cum vero ad virtutem proxime Alcestus accedit, tunc illum minime ridemus. 3°) Nunquam autem, etiam cum illum maxime ridemus, idcirco contemnimus. 4°) Persaepe praeterea, nil omnino ridiculi in eo invenitur, et, in summa, adeo non ab Alcesto alienos habemus animos, sed etiam diligimus ac paene probamus [a].

a) Cf. illum Rousseau locum : « Le misanthrope ne laisse pas d'intéresser et de plaire..... et on se sent au fond du cœur un respect pour lui, dont on ne peut se défendre. » (Lettre à d'Alembert.)

Equidem poetam fateor, si forte accidit ut in comoediis aliqua bona ratio male vel ridicule explicetur, non praetermittere unquam quin eamdem causam bene ac graviter alii personae mandet defendendam. Quod longe secus est, haud ignoro, in illis locis ubi forte de Relligione breviter et strictim tractatur. Nam cum perridicule Arnolphus *calefactata ahena* [1] obtestatur, vel Sganarellus *Monachum morosum* [2], nil omnino tum Relligionem invidia aut saltem ridiculo levat. Crimini igitur poetae vertamus quod, nonnullis locis, Relligionem in discrimen alterutrius stultitia adductam inimicis ludibrio esse sinat. Sed ne existimemus tamen ei deliberatum et constitutum esse Relligionis imminuere dignitatem. Ac praesertim ne gratuito de Relligione ejus delicta multiplicemus.

Perniciosius vero de Relligione poeta meruit, cum illam confecit fabulam cui nomen inscribitur *Tartuffe*. Haud ignoro quidem omni ope scriptorem esse enixum ut se de consilio purgaret et rationem facti probaret. Neque me fugit eum vidisse ut, in illa quidem comoedia, pravis sententiis bonas ac probandas mature opponeret. Sit sane Cleanthus [3] Molerii ipsius quasi procurator, vicarius ac vera imago ; sitque poeta, concedo, minime in omnibus defensionibus mendax : verumtamem, velit nolit scriptor, Relligionem tali

1. *École des Femmes*, III, sc. 2.
2. *Don Juan*, III, sc. 1.
3. V. Cleanthi declarationem, acte I, sc. 5.

opere offendit. Hoc est enim maximo argumento, quod haec fabula, cum semper christianos viros conturbavit et alienavit, tum Relligionis inimicissimos amicissimos habuit et gaudio perfudit. Causa vero manifesta est. Nam, ut antea saepe dictum est, poeta falsam vel pravam pietatem depingere non poterat, nisi verae ac probandae pietatis speciosis coloribus. Sed homines similitudine veri facile capiuntur, et complures, hebetis quidem ingenii, pro pietate putaverunt quod pietatis corruptio erat vel merum simulacrum. Hoc vero forsitan ferendum sit, nam denique suo quisque periculo stultus est. Sed, id gravius, quod multis hostili animo in Relligionem ipsam animatis hac comoedia dari tela videntur. Nam quia ibi in Relligionis auctoritate stultitia improbitasque delitescit, Relligio ipsa, ut opinantur, istas recipit pestes, vel potius gignit et alit. Et statim secum commurmurari sacrarum rerum contemptores illud pervagatissimum :

Tantum Relligio potuit suadere malorum [1].

Ex altera autem parte relligiosi homines in periculo fortasse versantur ne subdiffidant moribus quibusdam sacris ac ritibus, quibus antea ingenue graviterque utebantur, et quae quasi polluta eis nunc videntur isto profano et indigno usu. Quamobrem ne similes Tartuffio sint, ceteris etiam Christianis similiores esse paene jam dubitant. Adde quod, si veri et abso-

1. Lucret.

luti Tartuffii perrari sunt, non desunt tamen, ne apud bonos quidem, qui, ut ita dicam, « *semisinceri* » videantur. Quanta igitur cupido omnibus qui circa eos sunt, captis manca quadam similitudine, eis turpe imponendi cognomen « dimidiatis Tartuffiis » ! Ob eas ergo omnes causas, aliqua labes Relligionis dignitati adspersa videtur. Et Molerio non agitare tam ancipitem rem melius fuit, quam ars perfecta visque ipsa ingenii non tolerabilem tot spectatoribus reddere poterat.

Sunt igitur in ea sententia quam de Molerio tulit scriptor quibus sane assentiri expediat, alia vero quae mitigare velis. Sunt etiam, ut arbitror, quibus forsitan addere possis. Nam, separatis istis verborum sordibus, quae, ut demonstravi, rarae apud Molerium sunt, non una comoedia in ejus theatro quasi voluptatem olet. Non enim de Quinaldi solum comoediis dicendum est : « Certa quaedam corruptelae ibi invenitur formula [1] » ; complures Molerii quoque fabulae « lenocinantibus invitamentis ad juventutis voluptates perfruendas implentur [2] ». Longum est profecto fabularum locos enumerare, in quibus hic poeta voluptatis patrocinium suscipere videtur ; satis erit dicere complures ejusmodi locos paene in omnibus eis operibus inveniri quae in « aulicorum ludorum [3] » partitionem cadant. Illud vero

1. *Maximes*, III.
2. *Ibidem*.
3. « *Comédies-ballets* », « *Pastorales* », etc.

talium operum fraudem ac periculum auget, quod ea, cum sint commendata saepius versuum venustate et modorum saltationisque illecebris, nulla voluptate indigent quae animos permulcere possit. Hoc est verum, ut mea fert opinio, Molerii in mores peccatum. Nam multo etiam magis quam apte dicta ejus obscenitas — quae, iterandum saepius est, non ibi excurrit nisi satis raro ac solum in paucis et parvi momenti operibus, — exquisita, delicata voluptas quae in hujus poetae comoediis pluribus perfectiusque elaboratis spirat et renidet, lenocinia prae se fert quibus facile vinci vel fortissimus quisque et expugnari possit. Sed hae fabulae ipsae, licet frequentior sane sit numerus quam fabellarum protervae festivitatis, numero tamen vel amplitudine insignibus ejusdem comoediis concedunt. Jam de his fortasse omnino probare possumus quod universis ejusdem aetatis operibus tam inconsulte ponebat Dissertationis scriptor : « Adeo sunt emendata ut nihil recipiant quod vel maxime teretes et relligiosissimae aures aspernentur ac respuant ». Quae laus, quanquam in his terminis circumscripta, digna est tamen quae non sileatur.

Alius autem locus non a scriptore tactus est, ubi, nostra quidem sententia, Molerius maxime claudicat. Nihil est enim dubitationis quin omnes ejus comoediae similiter sonent et quasi communem habeant animam. Principium vero ex quo communiter pendent non ita obscurum est. Nam sive ambitiosam in sermone et habitu jactationem

poeta retundit, sive omnia fallaciae mendaciique genera patefacit et confutat, utique nihil antiquius habet quam ut simplicem in loquendo et agendo veritatem extollat. Nil sane tali proposito laudabilius esset, nisi rem huc poeta deduceret ut paene nihil quod naturae conjunctum est vile vel periculosum ei videatur. Idem enim qui, novissima fabula, corporis morbo profitetur non esse medendum [1], jam a primis operibus satis aperte significat animi etiam morbis, libidini scilicet, vanum esse mederi. Nam in illis fabulis quibus « École des Maris » vel « École des Femmes » nomen inscribitur, poeta quid de corrigendis feminis et instituendis sentiat sincere ostendit. Non multum vero in praeceptis ponit, quae quidem proponenda stupido homini (Arnolpho) relinquit [2]. Multo etiam minoris custodiam facit, quippe quam vim, coercitionem, immo tyrannidem eximie ejus dilectae personae sine ambiguitate dicant [3]. Quanam igitur re potissimum

1. « La nature, quand nous la laissons faire, se tire doucement du désordre où elle est tombée..... » *Malade imaginaire*, III, 3.

2. V. *École des Femmes*, III, 3. Cf. *le Misanthrope* :

> Et c'est une folie à nulle autre seconde
> Que vouloir se mêler de corriger le monde.
>
> (V.v. 157-158)

3. V. *École des Maris*, verba Lisette :

> En effet tous ces soins sont des choses infâmes.
> Sommes-nous chez les Turcs pour renfermer les femmes ?...
> ...Toutes ces gardes-là sont visions de fous :
> Le plus sûr est, ma foi, de se fier en nous.
> Qui nous gêne se met en un péril extrême.
>
> (I. sc. 2)

confidit ille morum emendator ad coercendas vel sedandas cupidines ? Nihil enucleatius est : unice facilem naturae laudat obsequentiam [1].

Non laboramus quaerere annon paululum sibi poeta discrepet qui nunc tantum naturae concedat, alio autem loco fateri videatur multa, in hominibus, natura corrupta et prava esse [2]. (Suspicamur tamen has sententias non ita forte esse contrarias, nam etiamsi Molerius concedat naturam non semper per se ipsam esse bonam, non idcirco forsitan se cogi posse fateatur ut eam debere vel posse arte quadam emendari concedat.) Quoquo vero modo res se habet, manifestum est poetam nihil magis cordi habere quam hoc vetustum ac pertritum principium : *naturam sequi.* Etenim et illud consilium pro bono ac probabili ducit cum de corporis morbo agitur, neque, cum anima ipsa cupiditatibus aegrotat, quoquam alio consilio indiget. Sic apparet eum nulli rei ad naturam meliorem reddendam confidere magis quam ipsi naturae [3]. Quod idem, ut arbitror,

1. Mes soins pour Léonor ont suivi ces maximes :
Des moindres libertés je n'ai point fait des crimes,
A ses jeunes désirs j'ai toujours consenti.
(*École des Maris*, v.v. 183-185)

2. Oui, je vois ces défauts dont votre âme murmure
Comme vices unis à l'humaine nature, etc.
(*Misanthrope*, v.v. 173-178)

3. Profecto haud me fugit Molerium nonnunquam aliud arcessere principium, quod quidem huic « naturam sequi » adversari et moderari videtur. Nam magni aestimat servare « quod decet » ; et nobis suadet libenter ne habitu, sermone, etc., a ceteris dissentiamus, neque, ut ita dicam, mirabiliter

valet ac si naturae rectam semper rationem, jusque in omnibus rebus profiteatur absolutum. Tale autem praeceptum cum Relligio detestatur, tum sanitas ipsa et bona mens admodum respuit.

Haec sunt, non expressa sed solum adumbrata, quae addere possis Bossuetii de Molerio sententiae. Ea vero ipsum eo magis piget verbis non concepisse quo majorem habeat in reliquis gravitatem et eloquentiam.

2. De Quinaldo.

Quinaldi autem in theatro aestimando tam integrum idemque pressum, tam aequabile et eloquens fuit Bossuetii judicium, ut nihil ei addere, nihil detrahere possis. Apud hunc enim poetam non semel, non fortuito, sed perpetuo et consulto, corruptela, ut Bossuetius dicit, *sententiosa ac praeceptiva fit* [1]. Nam totum ejus theatrum,

morati simus [a]. Denique est ubi mutuam indulgentiam ac patientiam laudet. — Sed alterum est facere quod decet, alterum perficere quod debemus. Jam vero qui non mirabiliter vel singulariter moratus est, saepissime non nimis pulchre moratus est. Denique si attendemus non alia mente poetam nos ad facilitatem et humanitatem hortari, nisi ea ut nos nostrae facilitatis humanitatisque praemia primi habeamus, — ob eas omnes causas inferre poterimus Molerium, etiam cum caritatem respicere videatur, nihil nisi nostram utilitatem voluptatemque perspicere. Hic quoque igitur omne ad « naturam sequi » recidit.

1. *Maximes*, III. — Cf. Bol. sat. X. :

Par toi-même bientôt conduite à l'Opéra,
De quel air penses-tu que ta sainte verra

a. Et l'école du monde, en l'air dont il faut vivre
Instruit mieux, à mon gré, que ne fait aucun livre.
(École des Maris, v.v. 191-192)

dico theatrum lyricum [1], « vanis blandimentis ac lenocinantibus ad perfruendas juventutis voluptates invitamentis refertum est [2] ». Istum igitur pravissimum et quasi perductorem poetam Bossuetii severitati permittamus. Quinaldus sane ad meliorem mentem voluntatemque conversus est. Theatrum vero ejus non id est quod expurgari possit. Non enim corruptione inquinatum est, sed prorsus infectum.

D'un spectacle enchanteur la pompe harmonieuse,
Ces danses, ces héros à voix luxurieuse;
Entendra ces discours sur l'amour seul roulants,
Ces doucereux Renauds, ces insensés Rolands;
Saura d'eux qu'à l'amour, comme au seul Dieu suprême,
On doit immoler tout, jusqu'à la vertu même;
Qu'on ne saurait trop tôt se laisser enflammer,
Qu'on n'a reçu du Ciel un cœur que pour aimer,
Et tous ces lieux-communs de morale lubrique
Que Lulli réchauffa des sons de sa musique?

1. Gallice « opéras. »
2. Pauca exempla proferre satis habebo :

Un peu d'amoureuse tendresse
Sied bien aux plus fameux vainqueurs :
Si l'amour est une faiblesse,
C'est la faiblesse des grands cœurs.
(Médée)

Que mes fers sont dignes d'envie... !
Non, la gloire n'ordonne pas
Qu'un grand cœur soit impitoyable.
(Renaud, dans *Armide*)

Ah ! quelle erreur, quelle folie
De ne pas jouir de la vie!
C'est aux jeux, c'est aux amours
Qu'il faut donner les beaux jours.
(Le Chœur, dans *Armide*)

Cf. nonnullos locos ex *Astrata* excerptos, in nostro libro : *De l'action dans la tragédie de Racine.*

3. De Cornelio.

Omnes sane noverunt quantum, quod ad mores attinet, intervalli sit interjectum inter *Astratae* vel *Armidae* scriptorem et Cornelium Raciniumque. Quamobrem haud mediocriter miramur quod Bossuetius paene eamdem in illis quam in isto adhibuerit severitatem. Nam utriusque fabulas « pudori periculosas [1] » pronuntiat. Quod judicium manifesto asperius est quam ut re sic judicata stare possimus. Sed ut ordine prosequar, quos promiscue scriptor condemnavit, viritim defendere tentabo.

« Quidnam, quaeso, in fabula *le Cid* sibi Cornelius petit, nisi ut et nos Chimaenam amemus et in ejus amore una cum Roderico depereamus et una cum eo, ubi in metum ne eam amittat aut in spem ejus possidendae inducitur, horrore aut laetitia afficiamur? [2] ». Ea nempe sunt, ad verbum expressa, in quibus tota nititur reprobatio. Perspicuum vero est tenue ac fragile esse tale tali damnationi fundamentum.

Nam primum plures anquirere poterunt num a Chimaena non alienos habere animos tantum re ipsa scelus sit. Quod sine dubio primum infitiabuntur : adeo haec puella dignitate, gratia, pudore, virtute verecundiaque eminet ! Utinam, dicet fortasse aliquis, scenicae heroides ex illius fingantur natura omnesque virtutes exprimant !

1. *Maximes*, III.
2. *Maximes*, IV.

Utinam ne in theatro assidentes deteriora humanitatis exemplaria unquam intueantur! — Quod si cum his defensoribus nos societate conjungere nolemus, illud certe quidem nobis confirmare licebit, nequaquam poetae in animo fuisse nos prorsus omnium Roderici voluntatum facere participes. Grato enim animo theatri quamlibet personam audire possumus, nec ideo omnia quae facit vel sentit ex necessitate probamus. Sic in Rodericum ipsum, cum, Comite Gomesio occiso, ejus convenit filiam, non sane severiores sumus, sed tamen id non in ejus laude ponimus. Neque illi vitio damus quod puellam, reluctantibus fatis, diligere perseveret; sed illud rursus nos magnopere oblectat, quod, quamvis magno ejus desiderio flagret, nullam tamen ejus amor officio impensam poscat, cum et paene nihil in se admittat quod virtus improbet, nec quicquam intentatum relinquat quod amori officere possit. In Roderico enim illa virtutis eximia species, quae Cornelianorum heroum nota est insignis, jam splendide fulget. Homo sane est ille et, ut ita dicam, ut quisque « maxime homo »; sed idem vir est, et omnium maxime vir. Nam sic amore inflammari, certo humanitatis est. In primis vero virtutem honestatemque colere, quasi divinitatem attingit. Quo magis in lubrico Rodericus esse videtur, eo se sublimius extollit. Neque unquam deprimi videtur, nisi ut surgat altius. Sic ad mire expressam hominum similitudinem fictus est, quorum quidem mente nihil est turbulentius, mutabilius,

promptiusque ad diversissimas partes : vera igitur est imago, vel potius excellens humanitatis documentum, quippe quod, cum rerum humanarum spectaculum praebeat intuendum, exemplum idem proponat vere et digne imitandum.

Equidem Rodericum novi in alias severiorum judicum vituperationes cadere. Nam primum, ut aiunt, virtuti dare putat quod consuetudini, et pravae quidem consuetudini concedit. Singulare enim certamen scelus nefastum est, nedum ad ullum pertineat officium. Rodericus vero falli potest, ut humanus, sed generose fallitur. Haud turpe errare est; pulchrum immo suo detrimento, id est impendio felicitatis, errare. Non facit Rodericus causa sua, quam ob rem fortasse dignus est qui sibi omnes conciliet. — At nonne vides, dicet gravis morum objurgator, hunc juvenem, cum honestum sequatur, minus ad officium quam ad amorem respicere? Nonne dicentem audis quanti momenti sibi fuerit, ad amplectendam virtutem, amicae respectus [1]? Ita sane, coram Chimaena, loquitur (cujus rei, tali tempore, interpretatio facilis est). Sed vidimus tamen, cum in secum deliberando in contrarias partes tam crudeliter distraheretur, eumdem, quo magis animum ad sponsam referret, eo magis ad virtutem deficere animo. Quod si tunc,

1. Et ta beauté sans doute emportait la balance,
A moins que d'opposer à tes plus forts appas
Qu'un homme sans honneur ne te méritait pas.
(vv. 886-888.)

brevissimo quidem tempore, ejus amor cum officio facere et conspirare visus est [1], amoris tamen impulsu nihil statuit heros quod se dignum esset, nihil immo quod amoris foedis impulsibus non congruens videretur [2]. Semper enim, in illo soliloquio, Chimaena, ut Rodericus loquitur, « brachium supprimit et coercet [3] ». Patris autem respectus, ad quem mox accedit patriae cogitatio, ea sunt demum ad persuadendum heroem gravissima momenta.

Hac vero brevissima interpretatione non omnem nodum nos expedire confidimus, nec nos diluere putamus omnia quae contra hujus comoediae mores dici possunt. Complures enim, qui in Rodericum et Chimaenam non acerbius invehuntur, poetam tamen reprehendunt quod, in hac comoedia, amoris imitatio, nimis ad veritatem expressa, quamdam habeat dulcedinem quae contagione nonnullis officere possit. Equidem non mihi sumo ut eam opinionem infitier. Nimis enim constat omnia pessimo cuique pessimis exemplis esse plena. Quisnam rursus negabit amorem vel libidinem hic semper ad extremum virtuti cedere, neque unquam, quamvis dulcis videatur, redolere voluptatem ? Quisnam praecipue, de fabula quidem *le Cid*, hanc ratam habebit

1. J'attire ses mépris en ne me vengeant pas.
(v. 324)

2. Mourons du moins sans offenser Chimène.
(v. 330)

3. L'un m'anime le cœur, l'autre retient mon bras.
(v. 304)

Bossuetii conclusionem : « Itaque hoc solum poesis propositum, hoc solum in animo poetis est, quemadmodum eorum heroes, ita et nos pulchrarum feminarum amore deperire et eis, sicuti deabus, adhibere cultum, et denique eis, praeter solam fortasse gloriam,... cetera immolari[1] ? » Equidem valde miror si tam acerbae sententiae vel minimum verbum in hanc comoediam cadat. Sed cum hoc grave judicium judicio de fabula *le Cid* continens sit et prorsus accommodatum, non dubitare possumus quin collegarum damnatione Cornelium ipsum Bossuetius hic circumvenerit. Quod crimen diluere cogimur; nec fortasse res in magnam difficultatem incurrit.

Etenim non diligentissima pervestigatione opus est ut intellegamus amorem paene semper in

1. *Maximes*, IV. — Cf. : « N'est-ce pas un terrible mal que cette idolâtrie que commet le cœur humain dans une violente passion ? N'est-ce pas en quelque sens le plus grand péché qu'on puisse commettre ? La créature y chasse Dieu du cœur de l'homme, pour y dominer à sa place, y recevoir des sacrifices et des adorations...

> Maintenant qu'il s'agit de mon seul intérêt,
> Vous demandez ma mort, j'en accepte l'arrêt,
> Votre ressentiment choisit la main d'un autre,
> Je ne méritais pas de mourir de la vôtre.
> On ne me verra point en repousser les coups.
> Je dois trop de respect à qui combat pour vous,
> Et ravi de penser que c'est de vous qu'ils viennent,
> Puisque c'est votre honneur que ses armes soutiennent,
> Je vais lui présenter mon estomac ouvert,
> Adorant en sa main la vôtre qui me perd.

« En vérité peut-on pousser la profanation plus avant...? » Conti, *Traité de la Comédie*.

Cornelii theatro partium esse secundarum, neque modo inferiorem locum obtinere, sed etiam coloribus surdis plerumque depingi. Non oportet enim frons prima nos decipiat. Quod si nemo omnium poetarum qui tum vivebant frequentius fortasse amorem in scenam induxit [1], haud eorum quisquam tamen ea mente manifestius induxit ut amorem dejiceret aliisque et utilitatibus et majoris dignitatis rebus plane concederet. Habemus enim profitentem poetam [2]. Illius vero plures personae suam mentem satis aperte declarant. Nam in hac tragoedia ipsa, ubi amor unice efflorescit, D. Diegus verum sanctimoniae institutum pronuntiat :

L'amour n'est qu'un plaisir, l'honneur est un devoir.
(v. 1059)

Quam ad rationis normam ceteri in illo theatro viri mores dirigunt suos. Nam Horatius, Curiatius, Polyeucta, et quotquot sunt apud Cornelium homines hunc affectum sequuntur, alteriusque in eodem theatro personae huic stant judicio :

Il ne faut point servir d'objet qui nous possède ;
Il ne faut point nourrir d'amour qui ne nous cède. [3]

1. Cf. *De l'Action dans la tragédie de Racine*. L'amour, p. 185.

2. « La dignité (de la tragédie) demande quelque grand intérêt d'État, ou quelque passion plus noble et plus mâle que l'amour... » (*Disc. Poème dramat.*). Cf. *Lettre à S. Evremond* : « J'ai cru jusques ici que l'amour était une passion trop chargée de faiblesse, etc. ».

3. V. in comoedia *la Place royale* verba Alidori.

Si quis vero cognoscere velit quam vere amoris servitutem exuerint Corneliani viri, poetae jam senescentis fabulas respiciat, ubi tot vel homines, vel feminae amoris mutandi non faciunt finem. Non ibi sane invenimus hunc quasi feminarum cultum quem impietatis corruptionisque Bossuetius defert. Sed non eum cultum invenimus magis in illis fabulis quas poetae jam confirmata aetas ingeniumque maturum edidit. Nisi forte, oblitus qua relligione honoris, patriae, virtutis, verique Dei patrocinium arripiant Rodericus, Horatius, Augustus, Polyeucta, illas tragoedias ad Feminae superstitionem consecratas ac devotas esse contendis.

Quod si quis a Cornelio cultus vere commendatur, cultus est non amoris, non ullius effeminatae voluptatis, sed roboris animi et constantiae et, ut ita dicam, merae virilitatis. Hoc theatrum non sane habendum est pro corpore quodam juris, officiorumque nostrorum plenis tabulis et absolutis, nam aliquando fit ut Corneliani viri in officio dijudicando fallantur neque veram virtutem a falsa similitudine discernant. Sed neque acerbius reprehendemus aliquem levem errorem quem « humana parum cavit natura »; neque obliviscemur poetam, cum male moratas personas effingat, magnopere eniti ut quaecumque improbanda sunt valde semper improbentur. In primis vero meminisse decet « vel flagitiosissimos quosque hic tantam animi patefacere amplitudinem ut eorum flagitia detes-

temur iidemque fontem altum et egregium unde exhausta sint non admirari non possimus [1] ». Quisnam vero est iste fons qui, sin minus purgat honestatque scelus, at certe quodam modo illustrat [2]? Firmitas videlicet animi, qua quidem nihil viro dignius est. Nam sive sunt boni, sive mali, Corneliani viri ea saltem affecti sunt virtute, quam, cum virtutibus annumerat in quarum quasi cardine omnis vita vertitur, commendat ac consecrat Christiana relligio. Firmi enim sunt ei, immo tam valentes quam qui maxime valentes, quippe quos nulla vis extera nullumque imperium in servitutem redigere possit. Quod si forte nequiter faciunt, nequitiam nemini nisi sibimetipsis assignant, neque committunt ut culpam in fatum derivent. Audi enim Œdipum ea magnifice declarantem :

Quoi! la nécessité des vertus et des vices
D'un astre impérieux doit suivre les caprices,
Et Delphes malgré nous conduit nos actions
Au plus bizarre effet de ses prédictions?
L'âme est donc toute esclave? Une loi souveraine
Vers le bien ou le mal incessamment l'entraîne;
Et nous ne recevons ni crainte ni désir
De cette liberté qui n'a rien à choisir,
Attachés sans relâche à cet ordre sublime,
Vertueux sans mérite et vicieux sans crime!
Qu'on massacre les rois, qu'on brise les autels,
C'est la faute des dieux, et non pas des mortels!
De toute la vertu sur la terre épandue
Tout le prix à ces dieux, toute la gloire est due;

1. V. verba Cornelii de Cleopatra (*Disc. Poem. Dramat.*)
2. *Ibid.* : «... le caractère brillant et élevé d'une habitude vertueuse ou criminelle ».

Ils agissent en nous quand nous pensons agir;
Alors qu'on délibère on ne fait qu'obéir;
Et notre volonté n'aime, hait, cherche, évite,
Que suivant que d'en haut leur bras la précipite!

(*Œdipe.*)

Quae quidem non ea sunt, ut opinor, quae dissertationis « *de Libero Arbitrio* » scriptori displiceant [1].

Rursus vero, cum recte faciunt et rem memorabilem gerunt, nunquam alieni momentis animi impelluntur. Nam sentiunt se sibi quemque verum probe facti esse auctorem; et quemadmodum sentiunt, ita clare pronuntiant :

Je suis maître de moi comme de l'univers.
Je le suis, je veux l'être.

(*Cinna*, v. v., 1696-1697.)

At enim non ex voluntate per se ipsa virtus constat; et illud tantummodo ad recte vivendum pertinet, bona voluntate frui. Equidem haud refragor. Cornelius vero, cum facinorosos homines inducit in scenam, tam atris coloribus eos depingit ut neque eorum nos nequitia fugiat neque alienos ab eis animos non habere possimus. Itaque apud Medeam (verbi gratia) vel Cleopatram incredibile animi robur cum miremur, istas

1. Bossuetius sane in hoc libro mundi voluntatisque humanae a Deo administrationem firmissime asseverat, sed tamen humanam libertatem manifestam facit : « Nous sommes libres à nous déterminer d'un côté plutôt que d'un autre; et... si nous prenons un mauvais parti, nous devons nous l'imputer à nous-mêmes ».

non miramur, immo invisissimas habemus. Sic voluntatis spectaculum firmae per se ipsum nos salutariter afficit. Hoc impulsu jam excitis et stimulatis in nobis solis positum est ut bene iter ingrediamur.

Poeta vero non omittit destinatum iter nobis declarare. Nam inter tot breves sententias, quibus ejus tragoediae quasi stellatae videntur, duae fulgentius splendent quibus vitae via collustrari possit. Ea nempe sunt praecepta : *quod factu difficillimum est, id potissimum affectemus*; et illud insuper : *gloria quasi dux vitae est ac magistra officiorum.* Bossuetius profecto non his institutis admodum contentus esse potest; nam et in hoc libro « gloriam periculosiorem quam amorem ipsum [1] » statuit, et gloriae vanitatem corruptelamque saepius declaravit [2]. Sed illa gloria quam Cornelius commendat non fere est, quantum intellegere possum, omnino eadem quae ista effrenata dignitatum honorumque cupido, quam quidem orator christianus jure ac merito confutavit. Nam cum Polyeucta « ad Gloriam [3] » se trahi laetatur, et cum tot aliae Cornelii personae Gloriam attestantur in eaque maxime subsidium habent ad foedas vel honesto viro indignas cupidines coercendas, talis gloria, sin minus virtus ipsa est, at saltem vice ejus fungitur, vel potius

1. V. *Max.*, IV.

2. V. inprimis *Sermon sur l'Ambition*, *sur l'Honneur*, etc. Cf. *Traité de la Concupiscence.*

3. *Polyeucte*, act. v, sc. 3.

eam haud mediocriter confirmat. Sane confitendum est non longum intervallum inter gloriam et superbiam esse interjectum. Sed tamen non gravius accusabimus gloriam quod interdum in pejus abeat ac ferocia fiat, cum eidem aliquando — et nescio an apud Cornelium dicere etiam saepius oporteat — ignaviam libidinemque exstirpare, et virtutem ipsam procurare tribuatur. Sed haec hactenus. Non enim est quod in hoc diutius haereamus ubi scriptor ipse non commoratus est. Illud jam extremum dicam, etiamsi Cornelius nos ad voluntatem tantummodo institueret neque idem nos quam viam ingressi voluntate bene uteremur erudiret, attamen, ob id ipsum solum, bene, optime, praeclare esset de nobis meritus. Sunt enim homines — sunt, censeo, et aetates ipsae — quibus nihil magis opus quam ut magnopere ac valide velle consuescant. Hanc vero disciplinam in Cornelianis fabulis habemus. Quod Bossuetius rem non observaverit vel parum in gratia habuerit, non multum mirabimur. Nam ipse neque ejus indolis neque aetatis erat quae talem institutionem valde desideraret. Nos autem qui in hoc multum nos claudicare sentimus, in hanc disciplinam ultro convenimus nec satis magni illum egregium poetam nos facere posse putamus qui quarum necessitatum maxime indigemus eas, neque ulla nostra cum molestia neque artis detrimento, nobis munifice dilargiatur.

4. De Racinio.

At enim, dicet aliquis, num de Bossuetii justa severitate Racinium ipsum eripere tibi sumis? Nonne constat omnes hujus poetae tragoedias (exceptis scilicet *Esther* et *Athalie*) aliquid molle et effeminatum spirare quod, dum in animos sensusque omnes irrepit, voluptate molliat? Nonne hic igitur « animorum veneficus [1] » ac vere corruptor fuit olim declaratus? Nonne demum ipse, ut Bossuetius notat, adversus suas tragoedias locupletissimus testis est habendus, quippe quem, cum ad pietatem sese recepisset, eas docuisse vehementissime pigeret? [2] — Quae quidem omnia nos non fugiunt. Sed tamen et ab istis amplissimis testibus provocari et adversus eam quam ipse de se tulit sententiam Racinium ipsum appellari posse confidimus.

Haud cuiquam sane dubium est quin Racinius hominum longe aliam exprimat imaginem atque Cornelius effingit. Nam hujus personae, sive bonae sunt sive malae, prudentiam constantiamque declarant qua nihil firmius illustriusque cogitari potest. Racinianis vero in personis tanta inest dubitatio et animi infirmitas ut semper consilio egeant. Quod enim de Athalia sola Mathanus pronuntiat :

1. Nicole, *Visionnaires*, Lettre 1.
2. *Maximes*, III.

Elle flotte, elle hésite ; en un mot elle est femme,
(v. 876)

nescio an de paene universis Racinii personis id ipsum confirmem. Neque igitur mirum est tam dubios tamque ut ita dicam muliebri animo homines parum ad virtutem propendere. Alii enim aliquando eam sibi optant, neque unquam consequuntur ; alii ad eam se paulisper conferunt, et ab ea statim in perpetuum recedunt. Perpauci vero cum virtute societatem jungunt stabilem.

Liquet porro ejus generis homines, cum « non omnino boni sint..., sed mediocri virtute praediti [1] », fragili scilicet atque caduca, raro innocentiae proponere nobis exempla. Nam hujus poetae theatrum ex omnium scelerum importunitate concretum est. Nec quicquam Racinianorum hominum mores verius oratione exprimit, quam illud quod poeta olim de semetipso confessus est :

Je ne fais pas le bien que j'aime,
Et je fais le mal que je hais. [2]

Inde fit ut et praeclara illa praecepta, quibus Cornelii tragoediae refertae sunt, raro apud Racinium appareant, et copia pessimorum exemplorum hic suppetat.

Sed tamen, si rem versare et undique inspicere voluerimus, ea quidem reperientur quae pro

1. V. *Androm.* primam praefat.
2. V. *Cantiq. spirit.*

Racinio quamdam suasura sint indulgentiam. Nam quemadmodum ejus personae « non omnino bonae sunt », sic, ut ipse declaravit, « non prorsus malae sunt[1] ». Peccant enim, sed, ut ita (cum Horatio) dicam, peccare oderunt. Praeterea vero nequitiae suae gravissimas poenas ad summam omnes rependunt, — quam aequitatis largitionem haud ullus forte comoediarum scriptor melius unquam providit. — Sed, quod magis nostra refert, per spectatorem unum stat quominus vel in hoc theatro tot vitiis admixto quamdam virtutis disciplinam ipse reperiat.

Non solum enim vitium ibi non laudibus ornatur neque signa conturbantur quibus a virtute possit discerni, sed etiam fere lacessitur et ea dolorum omniumque acerbitatum vexatur caterva ut quantam misericordiam tantum nobis incutiat odium. Hoc enim in primis inter eos quos apud Cornelium Quinaldumque aut apud Racinium intuemur vitiosos homines interest, quod illi nullius culpae conscii sunt, etiam in pravitate praeclara sustentantur conscientia[2], cum hos semper aliquis penitus pungat dolor. Non omittunt vero mentem suam explicare sollicitudinemque animi impertire nobis. Sive Nero de Burrho loquens ea profitetur :

> Je ne l'écoute point avec un cœur tranquille,
>
> (v. 1460)

1. V. *Androm.*, *loc. cit.*
2. V. supra, not. 2, pag. 39.

sive Phaedra declarat :

Je sais mes perfidies,
Œnone, et ne suis point de ces femmes hardies
Qui goûtant dans le crime une tranquille paix,
Ont su se faire un front qui ne rougit jamais,
(vv. 849-852)

utique quantum conturbationis et cruciatus malitia foveat, per hunc poetam exploratum habemus. Integra igitur nobis est optio utrum virtutis securam felicitatem assequamur, an vitii tam anxiam aegritudinem. Quod si quod ex eo vitiosorum spectaculo certum documentum eminet, ipsa depulsio certe est ejus servitutis quae totam mentem premat et vitam humanam aegritudine conficiat. Quod igitur de vitio Lucretius attulit neque ullis forte argumentis satis ad persuadendum aptis confirmavit, id Racinius exemplis manifestum facit : *Hinc* (vitio scilicet),

Hinc Acherusia fit stultorum denique vita [1].

Bene autem morati — non omnino enim in Racinii tragoediis homines desunt virtute praediti, — ad boni persuasionem semper accommodate et dicunt et faciunt. Non hic profecto invenimus incredibilem illam animi fortitudinem qua Corneliani heroes superbe gloriantur. Sed nescio an Racinius nobis exemplaria proposuerit cum imitatu faciliora, tum non minus digna quae imitaremur. Quaenam vel uxor ad Andro-

1. Lucret.

machae fidelitatem, vel filia ad Iphigeniae oboedientiam, vel femina christiana ad Esther inconcussam fidem se fingere nolit? Sed quamvis sint illustria haec exempla, nihil habent tamen quod conatus nostros reprimat. Nam vel in illa perfectissima virtute nescio quid facile ac blandum animadvertitur quod ad suadendam virtutem non mediocriter polleat.

Haud mihi quidem in animo est de illo crimine quod in poetam saepe est objectum reticere diutius. Nam cum Racinium inter omnes tragicos qui primas partes amori tribuerunt principem locum obtinere constat, tum Bossuetius ipse, unam ex ejus fabulis commemorans, potissimum *Berenicem* indicare vult, qua scilicet hujus theatri quasi fundamentum facillime detegamus. Dicet fortasse aliquis hanc tragoediam non, ut falso fere dicitur, universi Raciniani theatri memoriam renovare, sed paucarum tantummodo ejus fabularum. Sit tamen ut haec tragoedia imaginem veritati proximam, quod ad amorem et in primis ad amoris quasi colorem ac sonum respicit, ceterarum reddat. Porro nil sane dubium est quin amor in *Berenice* — pariterque in omnibus Racinianis tragoediis ubi magnam argumenti partem obtinet — mollius aliquando sonet ac nescio quid delicatum, etiam effeminatum redoleat. Sed hoc plene et cumulate concesso, oblivisci non debemus amorem, in hac ipsa *Berenice* ubi omnem fabulae materiam suppeditat, cum omnes perso-

nas maxime angere, tum non ita eas in suam redigere dicionem ut illum dignitati praeferant. Illa *Berenice* igitur non ita fortasse mali exempli est, quae vitiositatem eademque emendationem nobis exhibeat. Quam si jam ad Quinaldi tragoediarum vel lyricarum fabularum rationem revocamus, non solum judicamus innoxiam, sed paene juventuti ad instituendum praeclaram. Sin autem eamdem aliis conferimus Racinii tragoediis, vel *Andromachae*, vel *Britannico*, vel *Iphigeniae* — ut nunc *Esther* et *Athalie* omittam, — non ad eam sane fabulam juventutem vocamus, quippe quae nimis amatorie in compluribus locis scripta sit, sed non continuo eam pro impudenti opere [1] ducimus. Nunquam enim per Racinium spectatoris pudicitia in discrimine est.

Neque equidem dubito quin, si *Andromachae* vel *Britannici* scriptor tempore eodem fuisset quo Terentius, Jansenii sectatores, quemadmodum *Andriam* et *Adelphos* et *Phormionem* de latino converterunt [2], sic eas quidem Racinii fabulas gallice reddidissent. Magnum enim Arnaldum hic accipimus vadem qui, cum Bolaeus ei *Phaedram* approbaret, talibus verbis respondisse fertur : « Hoc plane perfectum opus est [3] ». Jam

1. « Dangereuse à la pudeur », *Max.*, III.

2. *Comedies de Terence traduites en francois à costé et rendues très-honnestes en y changeant fort peu de chose...* M.DC.XXXXVII. (Par le « sieur de S. Aubin », alias, ut creditur, Le Maistre de Saci.)

3. V. *Port-Royal*, VI, p. 130.

vero quid suspicari vetat Bossuetium ipsum, si quidem hic poeta unus e veteribus fuisset, primas ei delaturum fuisse inter omnes qui juventutis studia excolere possent ? Nam, apud Racinium, tam bene profecto si non melius quam apud Terentium, cujus quidem opera tanti faciebat Ludovici Delphini praeceptor, juvenes « suaviter « atque utiliter ludere *possunt* : *magnaque* se hic « rerum humanarum exempla *praebent*, intuen- « tibus fallaces voluptatum ac muliercularum « illecebras (Roxane, etc.), adolescentulorum « impotentes et caecos impetus (Pyrrhus, etc.); « lubricam aetatem servorum ministeriis (Nar- « cisse) atque adulatione per devia praecipitatam, « tum suis exagitatam erroribus (Oreste), atque « amoribus cruciatam (Hermione), nec nisi mira- « culo expeditam (Titus), vix tandem conquies- « centem ubi ad officium redierit. Hic morum, « hic aetatum, hic cupiditatum naturam a summo « artifice expressam ; ad haec personarum formam « ac lineamenta, verosque sermones, denique « venustum illud ac decens, quo artis opera « commendetur [1]. »

Terentiumne an Racinium nostrum Bossuetius ita praeclare laudat ? Nempe de Terentio scriptor ea loquitur. Sed tamen quoad non certis argumentis demonstratum erit Racinii tragoediam easdem cogitationes juventutis praeceptoribus non posse injicere, neque eamdem ad mores

1. *De institutione Delphini*, III (mutatis mutandis).

conformandos praebere utilitatem, tamdiu Racinii fabulis in juvenibus instituendis locum dare nobis licebit. Haec igitur opera juventuti ad legendum tradamus « non minutatim incisa, hoc est non unam aut alteram, *Andromachae* puta aut *Bajazet scenam*, a reliquis avulsam et abruptam, sed integrum opus continenter, et quasi uno spiritu [1]..... » Sic enim Bossuetius de Vergilio facere instituebat. Ille vero qui tam perfecte in nostratibus litteris Vergilium Terentiumque renovavit ac redintegravit dignus est nimirum qui non minus obsequenter tractetur.

Jam vero intellegendum est Racinium, pariterque Cornelium ac Molerium, cum poetae sint egregii, veram atque absolutam vitae imaginem reddidisse. Vita porro neque unum colorem habet, nec solum formam eximiam ostendit, sed, re ipsa, boni et mali permixtione tota conglutinata videtur. Aut igitur renuemus in usu consideratione que vitae aliquid inesse quod ad cultum nostrum conducat, aut concedendum erit in theatro etiam aliquid utilitatis ad mores excolendos reperiri. Constat sane hanc utilitatem non eamdem omnibus esse. Quemadmodum enim in « theatro terrarum orbis [2] », alii bonis exemplis maxime invitantur, alii vero, pravitate ad imitandum proposita, facilius in vitia decurrunt, sic

1. *De Institut. Delph.*, loc. citat.
2. Quint. Curt.

quoque in theatris assidentium alios alio impelli videas. Nam, quod natura fert, boni fere in bonum omnia convertunt, mali in malum [1]. Equidem haud negaverim theatrum, quia plures vitiosos quam bonos exhibet — atque id ante caveam ubi fere improbi numero plurimi sedent, ideo magis ad conflandum vitium quam ad confirmandam virtutem valere. Sed haud mediocri compensatione haec rerum imago, comoedia scilicet, rebus ipsis eo quidem antecellit quod, scriptoris mente concepta, in theatri lucem non profertur nisi ad quam formam virtutis ille tenet animo prius, ut ita dicam, reducta et expressa. Quo igitur excellentius scriptoris ingenium est, eo magis vitiosorum hominum quos ille depingit genuinam deformitatem patefacit. Nam ad naturam vitiositatem exprimere non potest, quin deformitas plane detegatur. Inde fit ut apud Racinium, Cornelium Moleriumque, vere vitiosi, qua pravitate sunt, nunquam nos ad sese alliciant. Sed in arte ipsa ad virtutis integritatem operisque honestatem servandam non satis est praesidii. Necesse est etiam ut, apud scriptorem, voluntas sana rectumque propositum accedat. Non quod e scriptoribus exigatur nescio quae objurgandi et edocendi jactatio, quae ne in vita quidem nostrum plerosque decet, nedum artis jucunditati justaeque libertati sit consentanea. Attamen, cum sit ars, quod Baconi placet, « homo

1. « La vertu convertit tout en bien, et le vice tout en mal. » (Boileau à Monchesnay, 1707.)

additus naturae » neque ullo modo fieri posse videatur ut poeta vitiosas vel praeditas virtute personas ante oculos nostros paulo diutius proponat, quin vel levissima indicia nobis significent quo poeta ipse pacto erga eas sit animatus, ex eo efficitur ut poeta, etiam in tragoediis vel in comoediis, in scena quasi praesens adsit, ubi, praeter opinionem, nostrae probationi alium commendet, alium vero ad animadversionem traducat, insciosque demum nos ipse quo voluerit inclinet. Usque adeo apud nos poetarum potestas valet !

Liquet vero poetas non semper tanta potestate pariter recte uti. Alii enim, ut Quinaldus, cum personis suis corruptelae quamdam ineunt societatem. Molerius vero nonnunquam libidini indulget, at saepissime vitiosos homines sine ulla facilitatis suspicione in scenam inducit. Cornelius autem tantum abest ut facilem sese voluptati praebeat, ut contra in toto ejus theatro vix unum ganeonem reperire possis. Nam quodcumque cupiditatum ab illo depingitur nihil fere ad luxuriam pertinet ; praeterea Cornelius ipse, quantum in tragoediis partes alicujus tenere videtur, cum bonis semper facit, ut, si illud in eo totum positum esset, nil sane dubium sit quin et nos spectantes summa vi iis qui maxime virtute sint praediti faveremus. Jam vero Racinius, quamvis licenter adulescens privatim se gesserit, at tamen non modo voluptarias imagines in theatrum non admittit, sed etiam ea mente,

quod Bossuetius postulat, improba facta exhibet ut « odium incutiat [1]. » Nam quod in *Phaedrae* prooemio de hac fabula significat, idem in omnes tragoedias recte cadit : « Amoris vitiositas pro mera vitiositate putatur. Libidines enim non oculis subjiciuntur, nisi ut intellegamus quantum ad mentem exturbandam polleant. Vitium vero semper iis coloribus depingitur quibus et id pernovisse et turpitudinem perodisse possimus [2] ». Num igitur Bossuetius ipse aliam formulam constituit qua bonum ac malum scriptorem dijudicemus ? An, quia ad solum rerum scriptorem [3] hanc probationem pertinere putat, prohibebimur ideo eam ad Racinium transferre, qui tam simpliciter propositi rectam rationem declaret ?

Sed postquam illa considerata sunt, quae libidines et quali scriptorum mente in theatro describantur, superest etiamnunc illud percontari, qualis sit caveae consessus. Nam quemadmodum quaedam historiarum genera vel quaedam narrationes, quamvis honesto ac laudabili consilio scripta sint, non omnium tamen sunt aetatum et personarum, sic in iis quae ad scenam componuntur fabulis quaedam reperias hujus spectatoris aetati moribusque apta, illius autem minime congruentia. Inde fit ut semper difficillimum

1. V. *Max.*, IV. Cf. supra, p. 23.
2. *Phaedr.* praefat.
3. V. supra, p. 23.

judicatu sit utrum fabula quaevis periculo mores spectantium offerat an nullum virtuti detrimentum importet. Sed quia fabula nonnullorum moribus pericula injicit, non ideo, quantum intellegere possum, per se appellanda est mala. « Nam hoc si placebit, jam efficietur ut prohibendum sit, quod scribit Bolaeus, Virginem et Suzannas et Magdalenas bene pictas in ecclesiis collocare, cum sane fieri possit ut earum adspectus dissoluti cujuslibet hominis inflammet concupiscentiam [1]. » Turpitudinis igitur notam inuremus istis tantum fabulis quae parum honeste pudicitiam habent, quorumve scriptores, dedita opera, vitio lenocinantur. Sed etsi non contendimus nullam istiusmodi in horum poetarum operibus inveniri, saltem pro certo habebimus et paucissimas esse apud illos quae tanta severitate dignae sint, neque has certe quidem in Cornelii Raciniique theatro inveniri. In hoc igitur loco inclementiam adhibuisse Bossuetius nobis videtur. Reddenda jam vero ratio est cur tam severus fuerit, quod quidem ad docendum redit quibus auctoribus in theatro reprobando innitatur.

1. Boil. à Monchesn., 1707.

CAPUT III

Quatenus, dum christianis theatro interdicit, doctrinae disciplinaeque Ecclesiae Bossuetius sit consentaneus.

Quamvis licet magnam suorum vi argumentorum fidem habuerit Bossuetius, nunquam profecto tantum fiduciae severitatisque adversus nostrates poetas prae se tulisset, si tantummodo sibimetipsi soli fuisset innixus. Nam nos non praeterit Bossuetium in omni re traditum morem a prioribus relligiose tueri, ideoque saepius nomine fuisse nuncupatum « Memoriae testem et custodem ». Jam vero constat, ante illum, in Ecclesia, magnam scriptorum vim et oratorum spectacula reprehendisse, vehementerque indicasse eorum flagitia. Qua igitur paene universorum consensione fretus, statuit in improbandis nostratibus poetis non uti moderatione. Quam videlicet severitatem ad obsequium oboedientiamque non minus fortasse quam ad verecundiam pudoremque pertinere putabat.

Tantum abest tamen ut tot locupletes in comoediam testes omnes ad unum proferat, ut contra, ubi data est testium prolationis opportunitas, exordium a profitendo capiat : « Sesemet non

jam recepturum in Patrum locos, neque in tam ampla materia latius se fusurum [1] ». Cujus brevitatis duas fuisse causas suspicor. Nam primum, cum complures [2], jam aliquanto ante, horum locorum paginulas accurate scripsissent, parum necessarium ei videbatur tam longum repetere opus. Praesertim vero Bossuetium non fugiebat horum objurgationum non dico propriam vim et auctoritatem, sed in praesenti quidem disputatione momentum, illo non mediocriter infirmatum esse, quod Patres saepius non tam fortasse comoediam ipsam quam spectaculorum quae tum vigebant infamem obscenitatem vituperavissent [3]. Itaque, ut anteoccupet quod opponi posse putat, hoc properat significare : « Illud solummodo praedicam, nimis neglegenter legentis esse contendere, quemadmodum ille facit scriptor, nihil Patres in eis quae tum vigebant spectaculis nisi idololatriam et manifestas turpesque impudicitias

1. V. *Max.*, XII.
2. V. in primis Conti, *Traité de la comédie et des spectacles*, 1666.
3. Quod argumentum abundanter et callide explicaverat *Epistulae* scriptor : « C'est une réponse que nous devons donner à tout ce qu'on nous objecte des Saints-Pères, avec d'autant plus de raison qu'à les examiner sans prévention et à peser toutes leurs paroles, il est aisé de voir que s'ils se sont tant déchaînés contre la Comédie, ç'a été parce que de leur temps l'excès en était criminel et immodéré, et que s'ils l'avaient trouvée comme elle est aujourd'hui, conforme aux bonnes mœurs et à la droite raison, ils ne l'auraient pas tant décriée, etc... » pp. 13 s. q. q.

reprehendisse [1]. » Nam re vera multa etiam alia in ludis vitio dant, immodicam scilicet relaxationem dissolutionemque animi, et libidinis escam. Adversario vero acrius instans, haec orator addit : « Num negare audebis haec omnia a Patribus graviter accusari, hosque accusari quasi periculorum acervos qui in theatris fere construuntur? Num negare audebis Patres vel ea honesta ipsa accusare, quae flagitia et scelera velamentis obvolvunt eisque pro commendatione sunt? Porro num negare audebis S. Augustinum istam libidinis simulationem in comoediis deflevisse et animi morborum pestilens exemplar et fletum quem movet nobis nostrarum libidinum tam acriter renovatarum imago et tandem id artis ludibrium quod miserabilem *insaniam* Augustinus dicit [2] ? » Cum vero tanta vi adversarium oppugnavit, ratus se eum e loco deturbasse, in aliam partem intentius instat.

Equidem tam vehementis eloquentiae impetum vix sustinere possumus. Flumine enim rapimur ac paene mergimur. Quod si animum recipimus,

1. V. *Maximes*, XII.

2. *Ibid.* — « Rapiebant me spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum mearum et fomitibus ignis mei. Quid est quod ibi homo vult dolere, cum spectat luctuosa atque tragica, quae tamen pati ipse nollet ? Et tamen pati vult ex eis dolorem spectator, et dolor ipse est voluptas ejus. Quid est, nisi miserabilis insania ? Nam eo magis eis movetur quisque, quo minus a talibus affectibus sanus est : quanquam cum ipse patitur, miseria ; cum aliis compatitur, misericordia dici solet. . . . » *Confess.*, lib. III, cap. II.

intellegimus Bossuetii argumentum non fortasse tantum pollere quantum primo apparet. Nam non solum nullos ille scriptor apertos de tam gravi quaestione locos profert, sed etiam nullo modo ad suspicandum adduci possumus Patres, cum tam graviter theatrum objurgaverint, non eas comoedias propositas habuisse, quae attentarent pudicitiam. Semper enim istius modi nimis multae comoediae fuerunt, et verisimiliter talibus operibus voluntas publica potissimum indulsit, cum senuit et in deterius lapsa Romana civitas est. Parum cognitas habemus comoedias quae tum docebantur, neque unam unum Patrem nomine designasse arbitror [1]. Cum igitur in incerto sit res, quid obstat quin Plautinas vel Terentianas fabulas in theatris etiam nunc stetisse putemus, eisque veteribus novas accessisse quae potius Plautinarum petulantiam exprimerent quam Terentianarum verecundiam? At ea mera conjectura est; nam plane fieri potest ut Terentii Plautique fabulae ex earum comparatione quibus tum plaudi solebat pro honestissimis putandae sint. Certum utique videtur, si de theatro ejusdem aetatis e vehementibus Tertulliani, Salviani, J. Chrysostomi multorumque aliorum [2] verbis existimamus, ejus theatri flagitia omni opinione deformiora fuisse. De hoc igitur una cum epistulae scriptore decidere licet : « Quisnam theatrum

1. At saltem a Tertulliani aetate.
2. V. *Lettre d'un théologien*, p.p. 13 à 19.

condemnare nolit, si quidem tot spurcitiis totque impie dictis refertum fuit? Quid est quod exspectetur de hoc Patris sententia, ubi quidem cujusvis unius Christiani viri sufficit[1]? »

Quod vero Bossuetius de Patribus continuo subjicit maximi momenti est : « Nam si eorum doctrinae penitus intropiscere principia curamus reconditosque tenere sensus, quam severa damnatio quamque ut ita dicam capitale judicium ejus quidem mentis qua ad spectaculum adducimur tunc nobis apparebit! » Quod argumentum quam diligentissime cogitari vult. Sed scriptoris instar, qui ibi nunc non commoratur, hanc disputationem in alium locum rejicere expedit[3].

Nam Bossuetius, pro sua prudentia, novit quid ponderis habeat in oratione argumentorum bona dispositio. Locupletissimos igitur auctores usque ad finem conservat, satis habens si nunc quidem paulo minoribus testimonia denuntiet. Quamvis enim egregii philosophi sint Plato et Aristoteles, eorum opiniones non videlicet tantam vim habent in Christiana causa quantam Patris doctorisve decretum. Hos igitur philosophos primo laudat. Laudat vero, non tamquam certissimos auctores, sed utpote qui nostrae rationis aditus argumentis quasi praemuniant suspectamque ante reddant theatri voluptatem. Sive igitur Plato statuit : « Se in suam Civitatem nec tragoediam, neque comoe-

1. V. *Lettre d'un théologien*, p. 19.
2. *Maximes*, XII.
3. V. infra, p.

diam unquam recepturum[1] », quia, sicut significat, timet primum ne « imitatione mali ad malum actores sensim adducantur », dein ne « ista voluptaria poesis optimos viros ipsos deteriores faciat »; sive idem rejicit et istas theatri lamentationes, « quae in nobis molliorem vanioremque misericordiam excitant » vel « istam lubricam voluntatis ad ridendum propensionem », — utique Bossuetius non continet se ab admodum assentiendo, Platoneque haud mediocri utitur adjutore. Recte, mea quidem sententia, facit. Nemo enim inter paganos altius rem inspexit, indicavitque sollertius theatri occultissima quaeque pericula.

Jam vero cum sic humanam sapientiam scriptor est obtestatus animumque lectoris ad theatri reprobationem primo comparavit, tunc demum illa gravissima testimonia quae theatri fautores opponere solebant diluere statuit. Plures enim non fefellerat non omnes Patres doctoresve Christianos eamdem in theatro adhibuisse severitatem, nonnullos etiam eorum ea de re verba fecisse quae haud nimis operosum temerariumque, sin minus theatri patrocinio, at saltem cuidam purgationi vertere videretur.

Ex iis vero auctoribus quorum nomina praetendebant, nullus profecto tanta auctoritate florebat quanta « Scholae Angelus », mediae scilicet aetatis praeclarissimus philosophus, dico Divum

1. *De Republ.*, lib. X, III. — Cf. — *Maximes*, XIV.

Thomam. Etenim hic illustris doctor non modo theatro non vehementer adversatus erat, sed vel defensoris opinionem poterat habere. Quanta igitur industria et alacritate recentiores theatri fautores ad tantum auctorem sese receperant[1] ! At quam sedulo curam Bossuetius insumpsit ut eos illo denudaret praesidio !

Equidem non in animo nobis est de singulis tam litigiosae spinosaeque disputationis argumentis agere. Nam satis habebimus commemorare quo modo hanc controversiam Bossuetius ipse definiat et concludat : « Primo non exploratum est Divum Thomam in his duobus locis[2]

1. « Mais parce que c'est quelque chose d'assez délicat, et que le point de la question consiste à les bien accorder ensemble (les Théologiens et les Pères), je veux bien ne rien avancer de moi-même, et vous faire parler en ma place l'incomparable saint Thomas, lequel étant d'un côté un Père très religieux et un très saint Docteur de l'Église, et de l'autre l'Ange de l'École, le Maître et le Chef de tous les Théologiens, me paraît tout à fait propre pour rassembler les sentiments partagés des uns et des autres, et pour nous tracer le chemin que nous devons suivre sans avoir peur de nous égarer. » (*Lettre d'un Théologien*, pp. 4 et 5.)

2. « Circa ludos et jocos, qui nonnunquam ad animi solamen utiles sunt, illa virtus versatur quam eutrapeliam vocant. » 2-2 ae. *Quaest.* CLXVIII, art. II.

« Ad *tertium* dicendum, quod, sicut dictum est (*art. praeced.*), ludus est necessarius ad conversationem humanae vitae. Ad omnia autem quae sunt utilia conversationi humanae, deputari possunt aliqua officia licita. Et ideo etiam officium histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum : nec sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur, id est, non utendo aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum, et non adhibendo ludum negotiis et temporibus indebitis... » *Loc. citat.*, art. III.

comoediam spectavisse; secundo, immo non spectavisse pro certo ponendum est; tertio, difficultatibus remotis, etiamsi aliquantulum comoediae *secundum se* ac generaliter suffragari voluisset, nostra certe comoedia, qualem re ipsa nunc habemus, cum ibi ex ejusdem principiis[1] praedamnatur, tum alibi quoque ab illo plane ac distincte est detestata[2]. »

In his sane omnibus rebus aliquid, quantum intellego, esse potest controversiae. Nam non tantum constat quantum Bossuetius vult, Divum Thomam, in his duobus locis, comoediam haud spectasse. Primum enim nihil dubitationis habet quin et illo tempore jam comoediae fuerint; et praeterea ignoramus quid sit cur ea indulgentia, quam Divus Thomas « histrionibus » significat, in ipsos actores transferri non possit. Praesertim vero tantum abest ut concedamus nostrates praeclaros poetas, qui Bossuetio aequales erant, ex Divi Thomae his principiis condemnari posse, ut contra sic persuasum habeamus ea quidem principia optimam fortasse eis constituere defensionem. Nam, nisi forte oleum et operam perdidimus, supra demonstratum est — quod

1. « Circa quae tamen videntur tria esse praecipue cavenda. Quorum primum et principale est quod praedicta delectatio non quaeratur in aliquibus operationibus vel verbis turpibus, vel nocivis... Aliud autem attendendum est ne totaliter gravitas animae resolvatur... Tertio autem attendendum est, sicut et in omnibus aliis humanis actionibus, ut congruat personae, tempori et loco... » *Loc. citat.*, art. II.

2. V. *Maximes*, XXV.

saltem et ad Molerii fabularum bonam partem et ad Cornelianum Racinianumque totum theatrum attinet — illorum comoediis neque « operationes verbaque turpia vel nociva » esse, neque unquam « gravitatem animi totaliter resolvi ». In hoc vero latius nos fundere non expedit. Nihil enim nobis longius videtur quam ut demum ad id veniamus in quo, ut ita dicam, vertitur cardo litis.

Posteaquam enim Bossuetius hanc totam deliberationem accuratius evolvit, illud sincere pronuntiat : « Attamen confitendum est illum virum paululum discessisse, sin minus a pristinorum Patrum sententiis ipsis, at certe ab eorum communi verborum more de oblectamento[1] ». Haud scio an, re vera, multo magis a Patrum vel sententiis ipsis Divus Thomas in ea re discesserit quam Bossuetius significat. Nam si paulisper modo oculos conjiciemus in locorum prolationes quos Bossuetius laudat, nobis occurret statim oculis magna Patrum et illius Doctoris dissimilitudo. Etenim Patres erga jocos et ludicra ferrei sunt : « Illud vero in jocis minimum malum declarant, quod inutiles sunt propterea que in numerum referendi verborum otiosorum de quibus in die judicii ratio reddenda sit[2]. » Jam Divus Paulus non minus dilucide jocos fieri vetat, quippe cujus ad Ephesios ea fuerit oratio : « Πορνεία δὲ καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία ἢ πλεονεξία μηδὲ ὀνομαζέσθω

1. *Maximes*, XXXI.
2. V. *Max.*, XXXI. Cf. *Matth.* XII, 36.

ἐν ὑμῖν, καθὼς πρέπει ἁγίοις· καὶ αἰσχρότης, καὶ μωρολογία ἢ εὐτραπελία, ἃ οὐκ ἀνῆκεν[1]... » Quid vero nunc attinet alios aliorum locos referre? Nunc quod vere praecipuum est tenemus. Licet igitur Joannes Chrysostomus et Ambrosius et Hieronymus et Basilius, quantacumque eorum est fides et auctoritas, Divi Pauli sententiam renovaverint et explicaverint, non idcirco hujus sententiae vim auxerunt, qua quidem nil certius expressiusque excogitari potest.

Atqui Divus Thomas in re tanta ab illis Patribus sejungere se et admodum dissidere non dubitat. Nam cum illi una voce ac mente jocos risumque condemnaverint, hic oblectamentum quasi in fidem recipit, nec solum id crimine levat, at paene ad caelum extollit. Ita vero loquitur : « Sed contra est quod Augustinus dicit (*Musicae*, « lib. II, cap. ult. in fin.) : *Volo tandem tibi parcas :* « *nam sapientem decet interdum remittere aciem rebus* « *agendis intentam.* — Sed ista remissio animi « a rebus agendis fit per ludicra verba et facta. Ergo « his uti interdum ad sapientem et virtuosum per- « tinet. *Philosophus* enim (*Ethic.*, lib. IV, cap. 8) « ponit virtutem eutrapeliae circa ludos, quam « nos possumus dicere jucunditatem (sive bonam « conversionem...). — CONCLUSIO : Circa ludos et « jocos, qui nonnunquam ad animi solamen utiles « sunt, illa virtus versatur quam eutrapeliam « vocant[2]. » Quae igitur sententiarum dissimili-

1. *Ephes.*, V, 4.
2. 2-2 ae *Quaest.*, CLXVIII, art. II.

tudo! Quod Divus Paulus in vitiis numerabat, pro virtutè D. Thomas habet.

Non quo sane hunc doctorem praetereat Patres jocum vehementer reprehendisse, quippe qui ex iis Patribus argumenta sin minus redarguenda, at certe explicanda, ex consulto arcessat. Nam quod dixerat S. Ambrosius : « non solum ergo profusos, sed etiam omnes jocos declinandos arbitror », ita S. Thomas interpretatur : « Ambrosius non excludit universaliter jocum a conversatione humana, sed a doctrina sacra[1]... » Quod vero dixerat S. Chrysostomus : « Non dat Deus ludere, sed diabolus... », sic explicat : « Verbum illud Chrysostomi est intelligendum de illis qui inordinate ludis utuntur, et praecipue eorum qui finem in delectatione ludi constituunt[2]... » Facile igitur aestimari potest Divùm Thomam omnia providisse, nec quicquam non explicatum reliquisse. Adeo illi cordi erat quod verum videbatur omni ope defendere.

Quanquam sine dubio non hujus operis est tantae dissimilitudinis reddere rationem, non nos tamen tenemus quin de tam gravi materia mentem nostram breviter explicemus. Ut veritatis doctrina, sic morum apud Christianos disciplina constat. Et quemadmodum veritas, etiamsi non est jam explicata et expresse definita, non eo minus vera est, ita honestas ipsa nulla re potest

1. 2-2 ae *Quaest.* CLXVIII, art. II.
2. 2-2 ae. *Ibid.*

immutari. Sed aliud est immutare doctrinam disciplinamque, aliud vicissim et ordine et quantum exigit usus cuique rerum quasi fronti laterique admovere lampada. Nam quod pristini sacri scriptores in ludum risumque invecti sunt, Thomas autem *eutrapeliam* probat et commendat, ea non adeo, quantum intellego, inter se repugnant, nisi quidem prima specie. Quod contrarie sic dici videtur non fortasse re vera discrepat. Divus enim Thomas subministrat ipse rationem nobis qua haec componamus, cum sic eloquitur : « Potest esse excessus in ludo secundum defectum debitarum circumstantiarum ; puta cum aliqui utuntur ludo, vel temporibus, vel in locis indebitis, aut etiam praeter convenientiam negotii seu personae [1]... » De eo, nisi fallor, omnis est controversia. Nam cum Jesus Christus ea imprecatur : « Οὐαὶ ὑμῖν, οἱ γελῶντες νῦν, ὅτι πενθήσετε καὶ κλαύσετε [2] », profecto nec semper neque ubique, neque omnem tollit risum, sed eum solum quo « vel temporibus vel in locis indebitis, aut etiam praeter convenientiam negotii seu personae » perversius abutamur. Rei enim cuique sua est opportunitas. Nam cum, etiam tunc recens, Christiana relligio de potentatu contendebat cum hostibusque, scilicet Paganis, in acie quasi progrediebatur, nimirum non tempus erat oblectamentis indulgere. Quod etiam eo minus expediebat quod, illis temporibus, fidei virtutique Christianorum quam

1. 2-2ae *Quaest.*, CLXVIII, art. III.
2. Luc, VI, 26.

maxime lubricis fallacibusque insidiis attentabat gentilitas. Inde fit ut, qua erant prudentia, non desisterent Patres inter Paganos et Christianos insuperabilem interjicere fossam[1]. Postea vero, cum jam Ecclesia tranquillam traheret pacem, Doctores remittere aliquid de prisca severitate potuerunt. Nam tunc demum eis fuit integrum expressa et absoluta honestatis praecepta a puris prudentiae discernere monitis. Et quanquam ex honesti disciplina nihil imminuerunt, in usu nonnulla adhibuerunt temperamenta quae res ac tempus ferebant. Sic ad ea quae expresse vetita ac plane legitima erant postea accesserunt aliqua quae erant licita vel tantummodo pro temporibus tolerabilia. Quod si hoc variare nuncupatur, non ea est mutatio quae rerum naturam commutet et adulteret.

Sed quantulacumque vis est hujus interpretationis, profecto liquet Ecclesiam Divi Thomae de oblectamento sententiam potissimum esse secutam, — quantum quidem pro utili ac legitimo oblectamentum putatur. — Constat quoque Ecclesiam, cum nunquam vanitatem periculaque theatri indicare destiterit et a Christianis hujuscemodi oblectamentum maxima amoliri cura, nunquam tamen, recentioribus quidem temporibus, eo eis omnino interdixisse. Porro non dubium est quin, si theatrum eodem prorsus

1. « Μηκέτι ὑμᾶς περιπατεῖν, καθὼς καὶ τὰ λοιπὰ ἔθνη περιπατεῖ... » Paul. *ad Ephes.*, IV, 17.

animo atque Bossuetius Ecclesia judicavisset et pro ita exitiosis putavisset optimos nostrates theatri poetas, prohibuisset Christianos, propositis quam severissimis poenis, theatrum ingredi. Quod si non prohibuit, sine dubio habuit quod theatro parceret. Cujus rei hanc causam Bossuetius reddidit, quod « severitas exercenda est in peccata paucorum [1] ». Ista vero ratione multis gravibusque peccatis debetur indulgentia ; neque persuasum habeo paucos tantummodo Christianos in spectaculum venire. Equidem potius existimaverim Ecclesiam, temporibus nostris, quominus fulminibus theatrum aboleverit ideo abstinuisse quod malum ibi aliquo bono sit admixtum, quod Quinaldis istis proxime adjuncti sint et Molerii et praecipue Racinii Corneliique, qui quidem, si dicere fas est, sunt quodam modo sal theatri.

Quod si Bossuetius non modum omnino servavit paululumque a media severitatis via deflexit, causa perspicua est. Nam quemadmodum, ut supra demonstravi, illud quoddam acerrimum bellum quo Pagani et Christiani olim collisi sunt non paulum profecit ut in Patribus augeretur impatientia theatri, sic subsimile aliquid Bossuetii auxisse severitatem non mediocriter videtur. Nam licet confirmare, Bossuetii etiam memoria, quoddam de theatro commotum fuisse bellum. Lon-

1. Quod verbum S. Augustini est. V. *Max.*, XI.

gum est profecto omnes hujus altercationis exponere vicissitudines; neque hoc ad rem pertinet. Satis igitur habebimus dicere eam, Galliam moderante Richelio, fuisse excitatam, aliquamdiu languidam stetisse et tunc solum exarsisse cum Jansenii fautores impetu hostem adorti sunt insignemque scenicis poetis intulerunt calamitatem. Poetae enim, cum ab adversariis nominatim increparentur acriterque oppugnarentur, tunc sese in medios immiserunt hostes . Neque dubium est quin rem in partem suam inclinassent et bonae quidem comoediae causam praeclare vicissent, nisi mors immatura Molerium, Cornelium effeta vis ingenii, Racinium ut ita dicam recidiva relligio, lumine praesidioque nudavisset comoediam. Porro cum maxime theatrum sic denudaretur, Rex ipse Ludovicus, qui hactenus immoderate theatro indulserat, ad diligentissimam pietatem paulatim sese vertit. Defensorum igitur inopia, comoedia periisse videbatur, cum maxime inexspectatus propugnator, casu nescio quo repente exstitit, qui ex integro renovaret bellum. Nam « Theologus » quispiam, cum a Boursault vehementer rogaretur ut de theatro interpretaretur quid sentiret, ita sententiam suam interpretatus est ut epistula [1] perinde valeret tamquam hujus aetatis theatri absolutissima eademque imprudentissima defensio. Quae valde temeraria ac vere incongruens intercessio iram magnopere Bossuetii movit; et quemadmodum Theologus

1. *Lettre d'un Théologien illustre*, etc. 1694.

nequaquam modum adhibuerat in omnibus sine exceptione approbandis qui tum vivebant scenicis scriptoribus, ita Bossuetius, cum ejus haud immerito exardesceret indignatio, in eis sine ulla exceptione prorsus vehementer ac severe fecit. Sic « Theologi » poenae a nostratibus praeclarissimis poetis graviter repetitae sunt.

At illud quoque, ut opinor, non parvi momenti fuit ad confirmandam Bossuetii severitatem, quod, paulo ante illum, alii ejusdem causae defensores nulli pepercerant rei ut everterent comoediam. Nam usque adeo progressus erat Nicole, cum Des Marets redargueret, ut sic eloqueretur : « Commenticiarum fabularum fabricator scenicusque poeta pervulgatus vere veneficus est si non hominis corporis, at saltem mentis, qui sese putare debeat reum esse caedis innumerabilium animarum [1] ». Etsi non tam acerba verba fecerant comoediae adversarii omnes, omnes tamen fere sentiebant idem. In primis vero erat et Nicole et Conti nobilitata inclementia. Nam uterque magna reprehenderat vituperatione non ea quidem quae licentius commiserat Molerius, sed Cornelii ipsius vel levissima peccata [2]. Ea igitur acerbitate et eo quodam proposito consilio omnia male interpretandi in scelusque detorquendi, illi optimis nostratibus poetis, apud quemque moderatissi-

1. *Lettre sur l'Hérésie imaginaire. Les Visionnaires*, première lettre.
2. V. p. 44, not. 1.

mum, fecerant suspicionem. Facilis inde conjectura est Bossuetium ipsum, cum infenso atque inimico animo jam per sese esset animatus, eum esse qui eorum vestigiis ingrederetur.

Nam, qualiscumque erga Jansenii fautores mens fuit Bossuetii, — neque equidem nunc considerare curo num eorum doctrinae vel morum disciplinae plus minus in reliquis indulserit, — utique certum est hunc eos, quod ad comoediam judicandam attinet, mirifice assectari. Etenim cum eadem apud cunctos est in summa rerum severitas, vel potius inclementia, tum in singulis eaedem saepius sententiae reperiuntur. Sive demonstratur haec theatri propria vis quae ea est ut ibi omnia sub sensum quemque cadant adeoque viva ac vera praebeant spectacula [1], sive de poetarum proposito suspiciose et criminose dicitur [2]; sive amoris imitatio, quod sordes eluat, ideo delicatior periculosiorque putatur [3]; sive illa de Concupiscentia doctrina ad comoediam transfertur et ei vehementer ac sollerter opponitur [4]; seu etiam comoediae ad excolendos mores convertendae consilium vanitatis coarguitur [5]: de his omnibus, ac de aliis rebus quas hic enumerare longum est, Bossuetius plane idem sentit atque Jansenii fautores.

1. Vide infra Appendicem nostram, n° 1.
2. V. Appendic., n° 2 et 2 *bis*.
3. V. Appendic., n° 3 et 3 *bis*.
4. V. Appendic., n° 4.
5. V. Appendic., n° 5.

Quin etiam Bossuetius tam vere in hac quidem causa Jansenii fautorum non solum suffragator sed etiam quasi discipulus est, ut poetarum qui tum florebant generatim proscriptionem statuisse videatur, minus e propria ac diligentissima criminum inquisitione, quam e vaga quadam recordatione et in primis ex exemplorum inspectione quae illi jam antea in libris protulerant. Non equidem committo ut contendam Bossuetium non novisse Molerii, Cornelii, Raciniique fabulas nisi ex eis locis quos Nicole et Conti graviter reprehenderant ; quo nihil sane dici posset obtusius. Sed persuasum habeo hunc eos, in illorum comoediis damnandis, praecipuos habuisse auctores. Quae si secus essent, quomodo rationem reddere possemus cur Moleriani theatri non quicquam memoria tenere videatur nisi « tam impie, tam spurce dicta [1] », Corneliani autem theatri nil omnino, nisi nescio quam falso creditam *feminarum idololatriam* [2] ? Sin autem hanc conjecturam recipimus, Bossuetii severitatis expedita est interpretatio. Nam quia *Tartuffii* omnibus in promptu recordatio

1. *Maximes*, III : « .... *les impiétés et les infamies* dont sont pleines les comédies de Molière . . . »

2. *Maximes*, IV : « Ainsi tout le dessein d'un poète, toute la fin de son travail, c'est qu'on soit, comme son héros, épris des belles personnes, *qu'on les serve comme des divinités*... » Cf. Conti, *Traité de la Comédie* : « N'est-ce pas un terrible mal que cette *idolâtrie* que commet le cœur humain dans une violente passion ?... *La créature y chasse Dieu du cœur de l'homme, pour y* dominer à sa place, y recevoir des sacrifices et des adorations... »

erat, moderatori vero et rectori Henricae Anglicanae *Berenices* memoria fortasse facilior, ideo bene intellegimus cur has fabulas nutu vel significatione scriptor appellaverit. Sed continuo, si meminerimus qua contentione Jansenii fautores tragoediam *le Cid* sint insectati [1], qua vehementia comoediae cui nomen *École des Femmes* inscribitur detulerint « insignem infamiam [2] », facile rationem reddemus quare tam acriter crimini dederit Bossuetius et Molerio « foedissima ambigue dicta » et Cornelio Roderici « idololatriam ».

Sine dubio quidem Bossuetius non omnino in his locis eadem atque Jansenii fautores verba facit. Hoc enim inter hunc et illos interest, quod Bossuetius, quippe qui neminem eloquentiae gradu superiorem habeat, ea verborum gravitate et copia et splendore nitet quae eorum scripta admodum faciat obscura. Sed Bossuetius indubitate Nicole et Conti scripta legit ; nec solum legit, sed etiam, ut opinor, cum ad « Theologum » redarguendum aggressus est, consuetudinem, ut ita dicam, cum illorum scriptis renovavit, mirum in modum sane delectatus quod auxilii causa eos secum haberet auctores qui, etsi in doctrina haud mediocriter saepius lapsi essent, morum tamen integritate veterem referrent disci-

1. Vide supra p. 44, not 1.

2. « Il n'y a rien de plus *scandaleux* que la 5e scène du second acte de *l'École des Femmes*. » Conti, *Sentiments des Pères de l'Église*. — Cf. *Maximes*, III : Molière... « qui remplit encore à présent tous les théâtres des équivoques les plus grossières dont on ait jamais infecté les oreilles des chrétiens ».

plinam. Etenim Jansenii fautores pristinorum Patrum severitatis repraesentabant memoriam. Illud vero ad eorum auxiliatorum commoditatem accedebat, quod non in communibus rerum summis steterant, sed id quod cadere in tempus scriptoresque vivos videbatur, diligentissime erant exsecuti. Etiamsi igitur multo etiam magis ab eorum animo ac voluntate in reliquis Bossuetius dissedisset, necesse putasset in illa quidem eos sequi arena ne utilitatem publicam proderet moremque dirimeret a prioribus traditum. Quae fuit, ut opinor, Bossuetii sententia, cum hanc societatem junxit.

At, quae ipsius fuit in dimicatione contentio, non intellexit se ad commilitones transgressum esse sane optimos et maxime animosos, sed ea quidem alacritate flagrantes quae quamdam fortasse moderationem desideraret. Illud etiam est oblitus, sese eos olim severitatis merito condemnasse, cum eos reprehendisset « qui omnia semper in deterius augerent [1] ». Post igitur eos, vel potius sicut et ipsi, poetarum vel minima peccata *in deterius auxit*, quodque majoris periculi erat, visus est ipse « humanam opprimere infirmitatem, dum officiorum cumulat onus quod a Deo nobis est injunctum » [2].

1. V. Nicol. Cornet laudat. funebr.
1. *Ibid.*

CONCLUDITUR

Jam vero quamvis curae habuerimus Bossuetianae severitatis quasi retundere mucronem causamque ita defendere probarum comoediarum, haudquaquam nos praeterit et eas esse paucissimas, et poetam ipsum, cum in lubrico fere versetur, semper in discrimen adduci ne labatur in vitium. Itaque tantum abest ut aliquid oratoris praecipuo argumento detrahere velimus, ut contra existimemus id magnopere pollere, nec quicquam effici posse melius quam semper illud commeminisse. Praeterea vero, cum nunquam, ut opinor, theatri communis corruptela clarius indicata sit melioresque causae redditae sint cur genus totum haberemus suspectum, semper expediet ut in promptu Bossuetii habeamus firma argumenta. Nam ex eo libello, velut ex perenni fonte, haurientur ad agendum commodissima ac firmissima praecepta, quotienscumque delicatae delectationis invitamento nos ad sese theatrum alliciet, vel 'solum cum incertum erit quorsum pertineat opus et quae sint in eo ad recte vivendum momenta.

Rursus autem non credemus, ne ipso quidem

Bossuetio auctore, scriptorem aliquem quia complures fabulas petulantiores vel delicatiores emiserit, ideo nullas scripsisse nisi quas verecundia Relligioque respuat. Neque existimabimus, si qua in opere animis parum sanis vel vitio laborantibus [1] officere possint, continuo opus ipsum corruptionis condemnandum esse. Atque in primis non credemus Relligionem christianam semper et ubique risum et delectamentum detestari, theatrumque generatim et indicta causa « *anathematizare* ». Illud vero potissimum considerabimus, Ecclesiam non in Bossuetii severiorem sententiam isse et, si ei expediret ad verba alicujus hominis absoluta eaque minime immutata prorsus accedere, veri simile videri Ecclesiam potius Divi Thomae vel Divi Francisci Salesii esse secuturam verba. Nam, quantum intellego, haec probat Doctoris Angelici verba : « Cum ludicra et jocosa laudabiliter et secundum rationem dirigi queant, eorum excessus semper peccatum est : interdum lethale, propter speciem actionis, et interdum veniale, propter debitae circumstantiae defectum [2] ». Eadem his Francisci Salesii verbis non minus suffragatur : « Joci, saltationes, convivia, apparatus, comoediae, secundum se, nihil omnino habent mali, sed inter indifferentia sunt, ea scilicet nec bona nec mala. Attamen, quia

1. Quo morbo scilicet Augustinus implicitus erat, cum raperent illum « spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum *suarum* et fomitibus ignis *sui*. » *Confess.*, l. III, c. II.
2. 2-2 ae, quaest. CLXVIII, art. III.

haec omnia periculosa sunt, ideo in deliciis ea habere pietati est valde exitiosum[1]... » Quibus in verbis, nisi fallor, ipsam Ecclesiae mentem video. Quia enim *catholica* est, ideo hominum genus respicit universum. Cuique vero aptissimam adhibet curationem. Quod si cum delectis copiis agit, ea verba facit quae ad sanctitatem unice quadrent : sic Divus Paulus priscis Christianis eutrapeliam vetabat, « καθὼς πρέπει ἁγίοις[2] ». Divus autem Thomas, cum uno conspectu quam plurimos Christianos complectatur quamque plurimas in partes digerat officia, tunc nihil omnino eorum quae « in hujus vitae conversatione », id est « ad animi solamen » utilia sunt, omittere curat. Illam igitur « virtutem quam eutrapeliam vocant » probat et commendat (sed ita ut recte ac moderate eam usurpemus)[3]. Rursus vero S. Franciscus Salesius, pro sua prudentia, dum aliquid humanae infirmitati largitur, tamen a salutaribus monitis non abstinet justaque theatrum suspicione praestringit. Nam sic sentit ac loquitur : « Non vitiosum est in spectaculum

1. *Introduction à la Vie dévote*, I, c. 23. — Quod si quis scire volet quanti in Ecclesia aestimetur sanctus Genevensis episcopus, haec legere poterit : « Universalis persuasio de excellenti Salesii scientia, ex qualitate ipsa doctrinae ipsius exoritur, quae nimirum in sublimi sanctitatis culmine ita in eo supereminet, ut Doctoris Ecclesiae tota propria sit, virumque hunc inter praecipuos magistros sponsae suae a Christo Domino datos, accensendum suadet. » (*Bref du Doctorat*, die XVI novembris MDCCCLXXVII.)

2. Ephes., V, 4.

3. Cf. p. 69, not. 2.

venire, sed vitiosum est spectaculum habere in deliciis ». Is demum, ut opinor, certae est doctrinae flos. Quem — ut in eodem simili verser, ut solebat idem, — delibare nostrum est. Atqui non est dubium quin ipsi, si modo nos, dum paululum de Bossuetii inclementia remittimus, praeclaras sententias in promptu semper habeamus quibus theatri corruptelam et nostram animi insanitatem notavit, illo ad omnes theatri declinandas pestes servandamque ex lege christiana integritatem animi, optimo duce ac moderatore utamur.

APPENDIX

N° I

« C'est une véritable peinture, les paroles y peignent les pensées ; et l'action, les actions et les choses ; et si cette définition peut convenir en quelque sorte à l'histoire et à la fable, le poème dramatique a cela de différent d'elles, qu'outre qu'elles ne lui servent que de matière, il nous fait voir les choses comme présentes, que l'histoire et la fable nous racontent comme passées ; et qu'il les représente d'une manière vive, animée, et pour ainsi dire personnelles ; au lieu que l'histoire et la fable ne nous les font voir que d'une manière morte... » Conti, *Traité de la Comédie et des Spectacles*.

« Si les peintures immodestes ramènent naturellement à l'esprit ce qu'elles expriment, et que pour cette raison on en condamne l'usage... : combien plus sera-t-on touché des expressions du théâtre où tout paraît effectif ; où ce ne sont point des traits morts et des couleurs sèches qui agissent, mais des personnages vivants, de vrais yeux, ou ardents, ou tendres et plongés dans la passion ; de vraies larmes dans les acteurs, qui en attirent d'aussi véritables dans ceux qui regardent... » Bossuet, *Maximes et réflexions sur la Comédie*, IV.

N° II

« Ce n'est donc plus que dans les livres de Poétique que l'instruction est la fin du poème dramatique. Cela n'est plus véritable, ni dans l'intention du poète, ni dans celle du spectateur. Le désir de plaire est ce qui conduit le premier, et le second est con-

« Le premier principe sur lequel agissent les poètes tragiques et comiques, c'est qu'il faut intéresser le spectateur ; et si l'auteur ou l'acteur d'une tragédie ne le sait pas émouvoir et le transporter de la passion qu'il veut exprimer, où tombe-t-il, si ce n'est

duit par le plaisir d'y voir peintes des passions semblables aux siennes. » Conti, *Traité de la Comédie.*

dans le froid, dans l'ennuyeux, dans le ridicule, selon les règles des maîtres de l'art? » *Maximes*, IV.

N° II *bis.*

« ... Et quand même ces effets, que je n'ose faire entrevoir, ne s'ensuivraient pas, n'est-ce pas un terrible mal que cette idolâtrie que commet le cœur humain dans une violente passion? N'est-ce pas en quelque sens le plus grand péché qu'on puisse commettre? La créature y chasse Dieu du cœur de l'homme, pour y dominer à sa place, y recevoir des sacrifices et des adorations... » Conti, *Traité de la Comédie.*

« Dites-moi, que veut un Corneille dans son *Cid*, sinon qu'on aime Chimène, qu'on l'adore avec Rodrigue...? Ainsi, tout le dessein d'un poète, toute la fin de son travail, c'est qu'on soit, comme son héros, épris des belles personnes, qu'on les serve comme des divinités; en un mot, qu'on leur sacrifie tout..... » *Maximes*, IV.

N° III

« Cette passion y paraît avec honneur et d'une manière qui, au lieu de la rendre horrible, est capable au contraire de la faire aimer. Elle y paraît sans honte et sans infamie. On y fait gloire d'en être touché. » Nicole, *Traité de la Comédie*, ch. III.

« L'amour est la passion qu'il y faut traiter le plus à fond; et quelque belle que soit une pièce de théâtre, si l'amour n'y est conduit d'une manière délicate, tendre et passionnée, elle n'aura d'autre succès que celui de dégoûter les spectateurs... Les différentes beautés des pièces consistent aujourd'hui aux diverses manières de traiter l'amour; soit qu'on le

« Mais tout cela, dira-t-on, paraît sur les théâtres comme une faiblesse. Je le veux : mais il y paraît comme une belle, comme une noble faiblesse, comme la faiblesse des héros et des héroïnes; enfin, comme une faiblesse si artificieusement changée en vertu, qu'on l'admire, qu'on lui applaudit sur tous les théâtres, et qu'elle doit faire une

fasse servir à quelque autre passion, ou bien qu'on le représente comme la passion qui domine dans le cœur..... » Conti, *Traité de la Comédie.*

partie si essentielle des plaisirs publics, qu'on ne peut souffrir de spectacle où non seulement elle ne soit, mais encore où elle ne règne et n'anime toute l'action. » *Maximes*, IV.

N° III *bis*.

« Tous les grands divertissements sont dangereux pour la vie chrétienne ; mais, entre tous ceux que le monde a inventés, il n'y en a point qui soit plus à craindre que la comédie. C'est une représentation si naturelle et si délicate des passions, qu'elle les émeut et les fait naître dans notre cœur, et surtout celle de l'amour ; principalement lorsqu'on la représente fort chaste et fort honnête. Car plus il apparaît innocent aux âmes innocentes, plus elles sont capables d'en être touchées... » (*Pascal.*)

« Plus il a eu soin de couvrir d'un voile d'honnêteté les passions criminelles qu'il y décrit, plus il les a rendues dangereuses, et capables de surprendre et de corrompre les âmes simples et innocentes.... » Nicole, *Visionnaires*, I, 1665.

« Quoiqu'on veuille dire que le théâtre ne souffre plus rien que de chaste, et que les passions y sont traitées de la manière du monde la plus honnête, je soutiens qu'il n'en est pas moins contraire à la religion chrétienne. Et j'ose même dire que cette

« On répond que, pour prévenir le péché, le théâtre purifie l'amour ; la scène, toujours honnête dans l'état où elle paraît aujourd'hui, ôte à cette passion ce qu'elle a de grossier et d'illicite...

« ... Encore que vous ôtiez en apparence à l'amour profane ce grossier et cet illicite dont on aurait honte, il en est inséparable sur le théâtre... Le grossier que vous en ôtez ferait horreur, si on le montrait : et l'adresse de le cacher ne fait qu'y attirer les

apparence d'honnêteté et le retranchement des choses immodestes le rend beaucoup plus à craindre... » Conti, *Traité de la Comédie et des spectacles*, 1666.

volontés d'une manière plus délicate, et qui n'en est que plus périlleuse lorsqu'elle paraît plus épurée. » *Maximes*, V.

N° IV

« Il est inutile de dire pour justifier les comédies et les romans, qu'on n'y représente que des passions légitimes et qui ont pour fin le mariage ; car encore que le mariage fasse un bon usage de la concupiscence, elle est néanmoins en soi toujours mauvaise et déréglée ; et il n'est pas permis de l'exciter, ni dans soi-même, ni dans les autres. On doit toujours la regarder comme le honteux effet du péché, comme une source de poison capable de nous infecter à tous moments, si Dieu n'en arrêtait les mauvais effets. Ainsi, de quelque honnêteté apparente dont les comédies et les romans tâchent de la revêtir, on ne peut nier qu'en cela même ils ne soient contraires aux bonnes mœurs, puisqu'ils impriment une idée agréable d'une passion vicieuse, et qu'ils en font même une qualité héroïque, n'y en ayant point qui paraisse avec plus d'éclat que celle-là dans ces héros de théâtre et de roman. » Nicole, *Traité de la Comédie*, ch. II.

« Le mariage règle la concupiscence, mais il ne la rend pas réglée. Elle retient toujours quelque chose du dérèglement qui

Mais il y a encore une autre raison plus grave et plus chrétienne, qui ne permet pas d'étaler la passion de l'amour, même par rapport au licite ; *c'est comme l'a remarqué, en traitant la question de la comédie, un habile homme de nos jours*, c'est, dis-je, que le mariage présuppose la concupiscence, qui, selon les règles de la foi est un mal auquel il faut résister ...C'est un mal, dit saint Augustin... etc. Qui étale, bien que ce soit pour le mariage, cette impression de beauté sensible qui force à aimer, et qui tâche à la rendre agréable, veut rendre agréable la concupiscence et la révolte des sens. Car c'en est une manifeste que de ne pouvoir ni ne vouloir résister à cet ascendant auquel on assujettit dans les comédies les âmes qu'on appelle grandes... Ce qu'on appelle les belles passions sont la honte de la nature raisonnable : l'empire d'une fragile et fausse beauté, et cette tyrannie qu'on y étale sous les plus belles couleurs, flatte la vanité d'un sexe, dégrade la dignité de l'autre, et asservit l'un et l'autre au règne des sens. » *Maximes*, VI.

lui est propre... Or, en excitant cette passion par les comédies, on n'imprime pas en même temps l'amour de ce qui la règle. Les spectateurs ne reçoivent que l'impression de la passion, et peu ou point de la règle de la passion. L'auteur l'arrête où il veut dans ses personnages par un trait de plume ; mais il ne l'arrête pas de même en ceux en qui il l'excite... » Nicole, *Traité de la Comédie*, III.

« Ce qui rend ce danger plus grand, est que la comédie éloigne tous les remèdes qui peuvent empêcher la mauvaise impression qu'elle fait. Le cœur y est amolli par le plaisir... » (Ch. IV.)

« Mais ce qui est plus déplorable, c'est que les poètes sont maîtres des passions qu'ils traitent, mais ils ne le sont pas de celles qu'ils ont ainsi émues ; ils sont assurés de faire finir celles de leur héros et de leur héroïne avec le cinquième acte, et que les comédiens ne diront que ce qui est dans leur rôle... Mais le cœur ému par cette représentation n'a pas les mêmes bornes... » Conti, *Traité de la Comédie*.

« Mais puisqu'on croit tout sauver par l'honnêteté nuptiale, il faut dire qu'elle est inutile en cette occasion. La passion ne saisit que son propre objet : la sensualité est seule excitée... C'est pour vous dire que le licite, loin d'empêcher son contraire, le provoque : en un mot, ce qui vient par réflexion n'éteint pas ce que l'instinct produit ; et vous pouvez dire à coup sûr de tout ce qui excite le sensible dans les comédies les plus honnêtes, qu'il attaque secrètement la pudeur. Que ce soit ou de plus loin ou de plus près, il n'importe ; c'est toujours là que l'on tend par la pente du cœur humain à la corruption. On commence par se livrer aux impressions de l'amour sensuel : le remède des réflexions ou du mariage vient trop tard : déjà le faible du cœur est attaqué, s'il n'est vaincu ; et l'union conjugale, trop grave et trop sérieuse pour passionner un spectateur qui ne cherche que le plaisir, n'est que par façon et pour la forme dans la comédie ». *Maximes*, V.

N° V

« Y a-t-il personne qui ne songe plutôt à se récréer, en voyant jouer Cinna, sur toutes les choses tendres et passionnées qu'il dit à Émilie, et sur toutes celles qu'elle lui répond, que sur la clémence d'Auguste à laquelle

« C'est pourquoi il ne faut pas espérer de rien faire de régulier de la comédie, parce que celles qui entreprennent de traiter les grandes passions, veulent remuer les plus dangereuses, à causes qu'elles sont aussi les

on pense peu, et dont aucun des spectateurs n'a jamais songé à faire l'éloge en sortant de la comédie ?

« La seconde chose qu'ils objectent, est qu'il y a des comédies saintes, qui ne laissent pas d'être très belles ; et sur cela, on ne manque jamais de citer *Polyeucte*, car il serait difficile d'en citer beaucoup d'autres. Mais en vérité y a-t-il rien de plus sec et de moins agréable que ce qui est de saint dans cet ouvrage ? y a-t-il rien de plus délicat et de plus passionné que ce qu'il y a profane ? y a-t-il personne qui ne soit mille fois plus touché de l'affliction de Sévère lorsqu'il trouva Pauline mariée, que du martyre de Polyeucte ? Il ne faut qu'un peu de bonne foi, pour tomber d'accord de ce que je dis. Aussi Dieu n'a pas choisi le théâtre pour y faire éclater la gloire de ses martyrs : il ne l'a pas choisi pour y faire instruire ceux qu'il appelle à la participation de son héritage. Mais comme dit le grand évêque que je viens de citer :

Pour changer leurs mœurs et [régler leur raison,
Les chrétiens ont l'église et non [pas le théâtre. »

Conti, *Traité de la Comédie et des spectacles.*

plus agréables... » *Maximes*, XXXIV.

« Pour ceux qui voudraient de bonne foi qu'on réformât à fond la comédie, pour, à l'exemple des sages païens, y ménager, à la faveur du plaisir, des exemples et des instructions sérieuses pour les rois et pour les peuples, je ne puis blâmer leur intention ; mais qu'ils songent qu'après tout le charme des sens est un mauvais introducteur des sentiments vertueux. Les païens, dont la vertu était imparfaite, grossière, mondaine, superficielle, pouvaient l'insinuer au théâtre[1] ; mais il n'a ni l'autorité, ni la dignité, ni l'efficacité qu'il faut pour inspirer les vertus convenables à des chrétiens : Dieu renvoie les rois à sa loi, pour y apprendre leurs devoirs... » *Maximes*, XXXV.

1. Conti eamdem sententiam abundantius explicat, in *Traité de la Comédie*, pp. 16-17.

N° VI

« Ce qui trompe bien des gens sur ce point, est qu'ils ne s'aperçoivent point des mauvaises impressions que la comédie fait

« Ne sentez-vous pas qu'il y a des choses qui, sans avoir des effets marqués, mettent dans les âmes de secrètes dispositions

sur eux. Ce qui leur fait conclure que ce n'est pas une tentation pour eux. Mais c'est qu'ils ne connaissent pas que ces tentations ont divers degrés dont les premiers ne sont pas sensibles. On n'en vient pas d'abord à une entière corruption d'esprit et de cœur... Souvent il y a longtemps que l'on commence à tomber, quand on vient à s'en apercevoir. Les chutes de l'âme sont longues : elles ont des préparations et des progrès, et il arrive souvent qu'on ne succombe à des tentations, que parce qu'on s'est affaibli... » Nicole, *Traité de la Comédie*, c. IV.

« Il y aura en cet endroit beaucoup de personnes qui assureront qu'ils n'ont jamais reçu aucune impression mauvaise par la comédie ; mais je soutiens ou qu'ils sont en petit nombre, ou qu'ils ne sont pas de bonne foi, ou que la seule raison par laquelle la comédie n'a pas été cause de la corruption de leurs mœurs, c'est parce qu'elle les a trouvés corrompus, et qu'ils ne lui ont rien laissé à faire sur cette matière.» Conti, *Traité de la Comédie et des Spectacles*.

très mauvaises, quoique leur malignité ne se déclare pas toujours d'abord ?

«... Saint Jacques... distingue ... la conception d'avec l'enfantement du péché ; il distingue la disposition au péché d'avec le péché entièrement formé par un plein consentement de la volonté : c'est dans ce dernier état qu'il engendre la mort... Mais de là il ne s'ensuit pas que les commencements soient innocents : pour peu qu'on adhère à ces premières complaisances des sens émus, on commence à ouvrir son cœur à la créature : pour peu qu'on les flatte par d'agréables représentations, on aide le mal à éclore...

« Lorsqu'on blâme les comédies comme dangereuses, les gens du monde disent tous les jours, avec l'auteur de la dissertation, qu'ils ne sentent point ce danger... Pour eux, disent-ils, ils ne sentent rien, et je les en crois sur leur parole. Ils n'ont garde, tout gâtés qu'ils sont, d'apercevoir qu'ils se gâtent, ni de sentir le poids de l'eau quand ils en ont par dessus la tête.... » *Maximes*, VIII.

N° VII

« C'est un métier où des hommes et des femmes représentent les passions de haine, de colère, d'ambition, de vengeance et principalement d'amour. Il faut qu'ils les expriment le plus naturelle-

« Je vous prie, que fait un acteur, lorsqu'il veut jouer naturellement une passion, que de rappeler autant qu'il peut celles qu'il a ressenties et que, s'il était chrétien, il aurait tellement noyées

ment et le plus vivement qu'il leur est possible : et ils ne sauraient le faire s'ils ne les excitent en quelque sorte en eux-mêmes, et si leur âme ne se les imprime, pour les exprimer extérieurement par les gestes et par les paroles. Il faut donc que ceux qui représentent une passion d'amour, en soient en quelque sorte touchés pendant qu'ils la représentent. Ainsi la comédie par sa nature même est une école et un exercice de vice, puisqu'elle oblige nécessairement à exciter en soi-même des passions vicieuses... et par conséquent qu'il n'est point permis aux autres de contribuer à les entretenir dans une profession si contraire au Christianisme ni de l'autoriser par leur présence. » Nicole, *De la Comédie*, II.

dans les larmes de la pénitence, qu'elles ne reviendraient jamais à son esprit, ou n'y reviendraient qu'avec horreur : au lieu que, pour les exprimer, il faut qu'elles lui reviennent avec tous leurs agréments empoisonnés et toutes leurs grâces trompeuses ?... *Maximes*, IV.

« Mais n'est-ce rien aux spectateurs de payer leur luxe, d'entretenir leur corruption, de leur exposer leur cœur en proie, et d'aller apprendre d'elles tout ce qu'il ne faudrait jamais savoir ? » *Maximes*, VIII.

N° VIII

« On apprend aussi aux spectacles deux choses également funestes : l'une à s'ennuyer de ce qui est sérieux, et par conséquent de tous ses devoirs ; l'autre à trouver cet ennui insupportable, et à en chercher le remède dans la dissipation... » Nicole, *De la Comédie*.

« Que si on veut pénétrer les principes de leur morale, quelle sévère condamnation n'y lira-t-on pas de l'esprit qui mène aux spectacles, où, pour ne pas raconter ici tous les autres maux qui les accompagnent, l'on ne cherche qu'à s'étourdir et à s'oublier soi-même, pour calmer la persécution de cet inexorable ennui qui fait le fond de la vie humaine... » *Maximes*, XII.

Typis mandetur
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

Vidi ac perlegi
Lutetiae Parisiorum in Sorbona a. d.
III id. Mai. ann. MDCCCC
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. CROISET.

INDEX

Pag.

PROOEMIUM 1

CAPUT I. — Quae fuerit de theatro Bossuetii sententia. 5

CAPUT II. — Quomodo qui tum florebant poetas Bossuetius judicaverit 27

CAPUT III. — Quatenus, dum Christianis theatro interdicit, doctrinae disciplinaeque Ecclesiae Bossuetius sit consentaneus 63

CONCLUDITUR 83

APPENDIX 87

MACON, PROTAT FRÈRES, IMPRIMEURS.



